HOminem saltatione gaudentem, & tibijs, cum volunt significare, turturem pingunt, capitur enim hæc ad tibias & saltationem.

Comment ilz denotoient vn hõme qui prend trop de plaisir aux musiques & danses.

POu mettre quasi deuant les yeux vn personnage se delectant par trop du son des instrumens, & s'amusant plus à baller qu'il ne deuroit, ilz paignoient encores ceste mesme Tourterelle, à raison qu'elle se rauit si fort de l'armonye & du gay mouuement des corps, que bien à l'ayse on la peult prendre.



Comment ilz exprimoient vn homme commençant à traicter les choses sainctes & sacrees.

Signifians vn personnage qui se veult appliquer aux diuines ceremonies, ilz figuroient vne Cigade, pourautant qu'elle ne resonne pas de la bouche, mais du dos, d'ou s'luy ort vn son assez doulx & non desplaisant à ouyr.

Quomodo hominem mysticum.

HOminem mysticum significare volentes, Cicadam pingunt, hæc enim non ex ore obstrepit, verum per scapulas sonum emittens ædit dulce carmen.



Quomodo Regem solitarium, neque errata miserantem.

REgem solitariũ & qui lapsis nulla errata condonet, cum volunt significare, Aquilam pingunt, hæc enim in locis solitariis nidum habet, & altius quàm cætera volatilia volat.

Comment ilz representoiẽt vn Roy viuant à part, & ne voulant pardonner à ses subieɛtz.

POur ce faire ilz paignoient vn Aygle lequel faiɛt son nid en lieux desertz, & en volãt plus hault que tous autres oyseaux, choisit celle que bon luy semble pour s'en repaistre.



Comment ilz descriuoient la restauration ou renouuellement des choses apres vn long tẽps expiré.

*ILZ paignoient vn phenix, à la naissance duquel se faict mutation & renouuellement de siecles. Or tel oyseau s'engendre en ceste sorte. Quand le vieil est pres de mourir, il se gette contre terre de grande impetuosité, & de ce reçoit vne playe, du sang de laquelle s'en cõcrée vn autre, à qui si tost que les plumes luy sont venues, il s'en volle auec son pere, en la ville d'*Heliopolis *en Egy-*

Quomodo instaurationem diuturnam.

INstaurationem diuturnã significare volentes, Phœnicem autem pingunt, quãdo enim hæc nascitur instauratio fit rerum, nascitur autem hoc modo, cum moritura est Phœnix, proiicit seipsam ad terrã, & ex proiectionis impetu, vulnus accipit, ac ex cruore de illo vulnere nascitur alia phœnix, hæc autem postquam pennæ concreuerint, vnà cũ matre in Solis vrbem, quæ

vrbs est in Ægypto proficiscitur, illic autem mater moritur statim ad ortum Solis, post cuius interitum redit pullus in propriam patriam vnde digressi fuerant. Sacerdotes autem Æ ypti defunctam sepeliunt.

pte; ou estant paruenuz le pere meurt, incontinent que le Soleil est leué, & apres sa mort, le nouueau s'en retourne en son pays naturel, & les prestres Egyptiens mettent le mort en sepulture.



Quomodo parentis amatorem.

Parentis amatorem significare volentes, Ciconiā pingunt, hæc enim à parentibus enutrita non separatur ab illis, verum ad vltimam vsque senectutem permanens parentibus victū sufficit.

Comment ilz signifioient vn homme aymant son pere.

Pour ce faire ilz paignoient la Cigongne, laquelle ayant esté nourrye de ses pere & mere, iamais ne s'en va d'auec eulx, ains y demeure continuellement, iusques à leur extreme vieillesse,

pendant laquelle son office est de les nourrir, en leur rendant par charité les biens qu'ilz luy ont faict en ieunesse.



Comme ilz denotoient vne femme qui a en hayne son mary.

VOulans demonstrer vne femme qui porte hayne à son mary, voyre iusques à luy vouloir oster la vie, & qui luy faict seulement beau visage pendant qu'il la tient embrassee, ilz figuroient vne vipere, pourautãt que ceste serpente venant à froyer auec son masle, luy engoule toute la teste, & quand ce vient au vray point du plaisir, elle serre si fort qu'adonc il perd la vie.

Quomodo Mulierem quæ virum oderit.

MVlierem quæ virum oderit, ac insidias illius vitæ tendat, & in coitu tantum adulantem cum volunt demonstrare, Viperam pingunt, ipsa enim in coitu mari iũcta os in os inserit, post coitum vero interimit, illius caput morsu amputans.



Quomodo filios matri insidiātes.

Filios matri insidiantes cum volunt significare, Viperam pingūt, hæc enim non ex naturali loco, quemadmodum cætera animalia verum parentis vtero rupto sic in lucem prodit.

Comment ilz exprimoient des enfans qui pourchassent mal à leur mere.

ENcores *pour merque des enfans, taschans de dommager leur mere, ilz figuroient ceste vipere, en consideration de ce qu'elle ne se delivre pas de ses petiz, selon la coustume ordinaire qui est entre tous les animaux, ains fault que la vermine saille en lumiere, apres auoir rongé le ventre de la mere.*



Comment ilz repreſentoiēt vn homme, lequel a eſté tant oultragé par aucun calunniateur, qu'il en eſt tombé en maladie.

A Ceſte fin ilz paignoient vn Baſilique, à raiſon que ceſt animal tue de ſon aleine ceulx qui approchent pres de luy.

Quomodo hominem in accuſatione conuicijs confectum ac languentem.

HOminem in accuſatione conuincijs affectū ac languentem ſignificare volentes, Baſiliſcum pingūt ille enim vicinos ſibi ſerpētes ſolo ſibilo interimit.




Quomodo hominem igne combustum.

HOminem igne combustum significare volentes Salamandram pingunt, ipsa enim vtroque capite interimit.

Comment ilz figuroient vn homme qui doit estre bruslé.

POur ce faire ilz paignoient vne Salemande, en contemplation de ce que le feu estouffe petit à petit ceste beste, & elle aussi l'estainct par sa freydeur.



Comment ilz figuroient vn homme aueugle.

LE voulans bien repreſenter, ilz paignoient vne Taulpe, laquelle n'a point d'yeux; & auſſi ne voit elle goutte, en ſorte que ce ſoit.

Quomodo hominem cæcum.

HOminem cæcum ſignificare volentes, talpam pingũt, hæc enim neque oculos habet, neque aliter videt.



Quomodo hominem extra domum se continentem.

HOminem extra domũ se continentem cum volunt significare, Formicã & pennã vespertilionis pingunt, huius enim alis ad nidum repertis, formica non ingreditur.

Comme ilz signifioient vn homme qui se contient en sa maison.

ILz paignoiẽt vn formy, & tout ioingnant vne aesle de Chauue soury, par ce que si lon en met vne aupres de quelque fourmiere, iamais aucun de ces bestions n'en sortira.



Cõment ilz repreſentoient vn homme qui eſt cauſe de ſon dommage.

Pour le bien deſigner ilz figuroient vn Bieure*, que les latins nomment Caſtor, à raiſon que quand ceſt animal ſe voit eſtre preſſé des chiens, il arrache luy meſme ſes propres genitoires, & leur laiſſe en proye à fin de ſe ſauuer.*

Quomodo hominem ſibiipſi damna dantem.

HOminem ſibiipſi damna inferentem cum volunt indicare, Caſtorem pingunt, hic enim venatoribus inſequentibus teſticulos ſuos demordens abiectos relinquit.



Quomodo patrem qui inuitus filio hæreditatem reliquerit.

PAtrem qui inuiso filio hæreditatem reliquerit significare volẽtes, Simiam cum alia parua simia insequenti pingunt, parit enim simia geminos, ex quibus vnum diligit admodum, alterum vero odit, quem igitur amat, ore gestans interimit, quem vero odit, post se habet, ac illum reliquum nutrit.

Comme ilz signifioient vn homme ayant laissé son heritage à vn filz qui luy desplaisoit.

EN voulant mettre cela deuant les yeux, ilz figuroient vne Singesse, & l'vn de ses petiz derriere elle, pour autant que son naturel est d'en produire deulx, l'vn desquelz est aymé perfectement, & l'autre hay à toute oultrance: mais il aduient que par embrasser continuellement & mignoter celuy qu'elle ayme, elle à la parfin le suffoque, puis est forceé de nourrir l'autre à qui elle vouloit mal.



Comment ilz demonstroiēt vn hōme, lequel sçait bien cacher ses faultes.

Quomodo hominem suum dedecus occultantem.

Pour ce faire il paignoiēt aussi le Singe faisant son vrine, d'autant qu'il la couure apres l'auoir espandue, de peur que l'on ne s'aperçoyue qu'il ayt esté en ce lieu là.

Hominem suum dedecus occultantem, cum volunt significare, Simiam pingunt, hæc enim cum vrinat, vrinam suam occulit.



Quomodo hominẽ acuti auditus.

HOminem acuti auditus ſignificare volẽtes, Capram pingunt, hæc enim & auribus, & quadam parte gutturis audit.

Comment ilz repreſentoiẽt vn perſonnage qui a ſingulierement bõne ouye.

ILZ denotoient par la figure d'vne Cheure laquelle reſpire des narines, & des oreilles, & par ce moyen oyt plus clair que ne faict aucune autre beſte.



Comme estoit par eulx denoté vn homme instable.

Pour exprimer quelq̃ inconstãt qui ne sçauroit demourer en vn estat, ains se monstre aucunesfois robuste & audacieux, & autrefois imbecille & craintif, ilz paignoient vne hyene, à cause qu'elle est masle durant quelque saison, & femelle pendant vne autre.

Quomodo Instabilem.

INstabilem aliquem, neque in eodem statu permanẽtem, verum modo fortem & audacem, modo imbecillum & timidum, cum volunt significare, Hyænam serpentem pingunt, hæc enim modo mas modo fœmina fit.



Quomodo superiorem ab inferiore victum.

SVperiorem ab inferiore victum significare volentes, duas pelles pingunt, hyænæ vnam, alteram perdi hæ enim pelles si simul ponantur, pardi quidem pilos abiicit, hyænæ vero non.

Comme ilz signifioient celuy qui a esté vaincu de ses inferieurs.

DErechef pour descrire vn hõme qui a cedé à vn inferieur & moins puissant que soy, ilz paignoient deux peaux, l'vne d'Hyene, & l'autre de Leopart, à raison que si elles sont mises ensemble, tout le poil de celle du Leopard tumbera, demourant l'Hyene en son entier.




Comment ilz denotoiẽt vn homme ayant ſurmonté ſon ennemy.

Pour ce faire ilz paignoient la meſme Hyene regardant en arriere ſur le coſté droict: & pour demonſtrer vn vaincu, ilz la faiſoient retourner ſur le gauche, en conſideration de ce que quand ceſte beſte eſt aſſaillie de ſon aduerſaire, ſi elle tourne à droit, il n'y aura point de faulte qu'elle ne tue sõ pourſuyuant, & ſi elle decline à gauche elle eſt morte sãs remiſsiõ.

Quomodo hominem qui inimicũ ſuum vicerit.

HOminem qui inimicũ ſuum vicerit ſignificare volentes, Hyænã ad dextram conuerſam pingunt, victum autem indicantes. rurſus hyænam ad ſiniſtram conuerſam pingunt, ipſa enim inimico inſequente, ſi ad dextram partem ſe conuertat, interimit inimicum ſi vero ad ſiniſtram, interimitur ipſa.



Quomodo hominem iniectas sibi difficultates intrepide ferentẽ.

HOminẽ iniectas sibi dificultates ad mortem vsque intrepide ferentem significare volentes, Hyænæ pellem pingunt, si quis enim hyænæ pelle succinctus, medios feratur in hostes, à nullo læditur & intrepide præterit.

Comment ilz figuroient celuy qui magnanimement auoit supporté les calamités aduenues à sa personne.

CEluy qui auoit iusques au dernier point de la vie constamment & par grand courage enduré & vaincu toutes les infortunes dont il fut affligé, estoit par eulx representé soubz la figure de la peau d'vne Hyene, pour autant que si quelqu'vn l'a ceincte sur son corps encores qu'il trauersast par le beau mylieu de ses ennemis, si passeroit il sans aucune frayeur, & sans encourir nul dommage.



Commẽt ilz denotoient vn poure homme opprimé de ses aduersaires.

POur figurer vn homme circũuenu & pressé de ses maluueillans, mais qui auec peu de dommage s'en est bien sceu d'esuelopper ilz paignoient vn Loup, ayant perdu le fin bout de la queue, d'autant que ceste beste sentant les chasseurs approcher, s'arache le bout de la queue, ou elle congnoist qu'il y a quelque proprieté occulte, la quelle induit les personnes à aymer.

Quomodo hominem inimicum suum præuenientem.

HOminem inimicum suum præuenientem ac minimo damno se à periculis eximentem, cum volunt significare, Lupum pingũt, extrema amputata cauda: hic enim cum iam sit à venatoribus indagendus pilos abiicit & extremum caudæ.



Quomodo hominem pericula ex occulto timentem.

HOminem ex occulto pericula timentem significare volentes, Lupum & lapidem pingunt, Lupus enim neque ferrum timet, neque hastam, sed tantum lapidē, denique si quis lapidem proiiciat, hoc verũ periculo comprobabit, & ex proiectu lapidis vulnere facto gignuntur lupo vermes.

Comment ilz exprimoient vn homme craignant les accidens qui luy peuuent inesperement aduenir, & par destinee secrette.

VOulans denoter l'homme redoubtant les dangiers qui se presentent à l'impourueu & par disposition fatale, ilz paignoient vn Loup & vne pierre, à raison que cest animal n'a peur de fer, ny de baston, mais craint sans plus la pierre, pource que si qu'elqu'vn l'en frappe, incontinent il tumbe tout à plat, & en quelque lieu qu'elle luy face playe, les vers s'y engendrent qui luy font mille maulx.



Comme ilz representoient vn homme admonesté & amendé par ses afflictiõs & calamitez precedẽtes.

Quomodo hominem nouissima calamitate castigatum.

QVand ilz vouloient figurer vn personnage deuenu plus modeste que de coustume, à l'occasion des inconueniens qui luy estoient peu au parauant aduenuz, ilz paignoient vn Toreau *lié de* Cheurefeuil *, consideré que quand il est en sa furie, si on luy gette vne corde faite de cest arbuste, incontinent il se r'appaise.*

HOminem nouissima calamitate castigatum significare volentes, Taurum pingunt, caprifico illigatum hic enim cum mugit si de caprifico ligetur, redditur mãsuetus.

Quomodo



Quomodo hominem dubiæ temperantiæ.

HOminem dubię & instabilis temperantiæ significare volentes, Taurum pingunt, genu dextrum ligatum, sic enim non coit: assumitur autem taurus semper ad temperantiam significandam, quippe qui post conceptum, fœminam non adęat.

Comme ilz signifioient vn homme qui n'est pas encores pourueu de temperance bien certaine.

POur ce faire ilz figuroient le mesme Toreau *attaché par sõ genoulx droit, à raison que si on luy lye, facilement on luy verra flechir la ioincture du pied & fault icy noter que tousiours le* Toreau *est mis pour exemplaire ou indice de temperance, consideré que iamais il ne sault la vache, quand il congnoist quelle à conceu.*



Commentilz demonstroiēt vn tueur domestique de Brebiz & de Cheures.

Quomodo hominem oues & capras perdentem.

VOulans representer vn malheureux qui destruit & ruyne la maison de son maistre, par assommer son bestial aux champs, ilz paignoient les simples animaulx broutans de la Conise, c'est à dire de l'herbe à pusses, veu que s'ilz en pasturent, puis apres la soif les estrangle.

HOminem oues & capras perdentem significare volentes, animalia ipsa pingunt Conizam pascentia, hæc enim Conizam edentia moriuntur siti enecta.



Quomodo hominem comedentem.

HOminem comedentem significare volẽtes, Crocodilum pingunt, os apertũ habentem.

Comment ilz designoient vn homme grand mengeur.

ILZ *representoient par le pourtraict d'vn Crocodile, ayãt la gueule ouuerte, d'autant que ce monstre est presque insatiable.*



Comment ilz denotoiẽt vn rauiſſeur, toutesfois lent & pareſſeux.

Pour demonſtrer vn homme rauiſſant, & fort oyſif enſemble, ilz figuroient ce meſme Crocodile, ayant ſur la teſte vne plume de Cigongne, à raiſon que ſi on viẽt à l'en toucher, tout auſſi toſt on le rend immobile.

Quomodo hominem rapacem & pigrum.

Hominem rapacem & pigrum ſignificare volentes, Crocodilum pingunt cum Ibidis penna in capite, hunc enim ſi Ibidis penna tangas, immobilem reddes



Quomodo Mulierem ſemel tantũ enixam.

MVlierem, quæ ſemel tã tum peperit cum volunt ſignificare, Leænã pingunt, hæc enim non concipit ſecundo.

Comme ilz repreſentoient la femme qui iamais n'a eu qu'vn enfant.

ILZ la ſignifioient par la figure d'vne Lyonne, laquelle ne porte qu'vne fois en ſa vie.



Comment ilz designoiēt vn homme lequel en son enfance auoit esté rude & difforme.

Quomodo hominem natum deformem.

VOulans faire entēdre qu'vn homme auoit esté né lourd & laid, mais puis apres estoit deuenu sage & de belle taille, ilz paignoient vne Ourse accouchante, d'autāt qu'elle ne faict à sō accouchemēt, sinon vne masse de chair formée de gros sang caillé, mais elle la tient tant entre ses iambes, pour la conseruer en chaleur naturelle, & la leche si continuellement, qu'à la fin elle luy donne sa forme de petit ourseau.

HOminem primo deformem natum qui postea formosus euaserit, significare volentes, Vrsam prægnātem pingunt, hæc enim conuersum sanguinem ac duratum parit. Postea fotum digerit in suas pattes, ac lingua lingens perficit.



Quomodo hominem fortem & cōducentium indigatorem.

FOrtem hominem ac vtilium indigatorem significare volentes, Elephantē pingunt, cum proboſcide, hac enim ille olfacit, ac intercidentia conſequitur.

Comment ilz deſcriuoient vn hōme robuſte, & qui prenoit de loing garde à ſes affaires.

POur exprimer vn perſonnage qui peult beaucoup, & d'eſprit & de force, meſmes qui cognoiſt ce que luy eſt profitable, ilz figuroient vn Elephant, auec ſa proboſcide ou trompe, par ce qu'il odore de loing au moyen de ceſte la, & en prend les choſes qui luy ſont neceſſaires.





Comment ilz demonstroiẽt vn Roy abhorent toute folie & imprudence.

L E *Roy qui de tout son pouoir fuyt folie auec desraison estoit par eulx representé soubz la figure d'vn* Elephant *& d'vn* Agne*let pres de luy, à raison que ce grand animal, fuit la presence de l'*A*gneau consideré qu'il luy semble follastre.*

Quomodo Regem fugientem insipientiam.

R Egem insipientiam fugientem significare volentes, Ceruum & arietem pingunt, fugit enim ceruus cum arietem videt.



Quomodo Regem nugatorem fugientem.

REgem hominem multarum nugarum fugientem cum volunt significare, elephantem pingunt, cum sue, fugit enim Elephas audita voce suis.

Comment ilz repreſentoiẽt vn Roy contraire aux pleſanteurs de court.

POur ſignifier vn prince euitant les vanitez des gens qui paiſſent les autres de bourdes, ilz paignoient vn Elephant & vn pourceau, en conſideration de ce que le noble animal fuyt le grongneur de ceſte ſale beſte.



Comment ilz denotoient vn homme prompt & agile, mais qui faict ſes negoces inconſiderémẽt & ſans conſeil.

Quomodo hominem celerem quidem in curſu ſed ſine cauſa fugientem.

METtans *deuant les yeulx vn perſonnage habile de ſon corps, mais qui ſe laiſſe transporter ſans iugement & ſans raiſod, ilz figuroiẽt le Cerf, & la Vipere, pour autant que tout à l'heure que ceſt animal craintif l'a veue, il ſe meƈt follement en fuytte, ſans regarder là où il va.*

HOminem celerem in curſu, verum ſine cauſa fugientem ſignificare volentes, Ceruum & viperam pinguut, fugit enim ceruus viſa vipera.



Quomodo hominem de sua sepultura solicitum.

HOminem de sua ipsius sepultura curã habẽtẽ significare volentes, Ceruũ pingunt, suos ipsius dentes infodientem, sepelit enim ceruus, qui sibi exciderunt dentes.

Comment ilz signifioient vn homme qui pouruoye à sa sepulture.

POur bien exprimer celuy qui est curieux de sa sepulture, ilz formoient vn Elephant, enterrant ses dents propres, meuz de ce que cest animal les enterre quãt elles luy sont cheutes.



Comment ilz figuroient vn homme, lequel a vescu plein & iuste aage.

CEla se faisoit par le pourtraict d'vne Corneille morte qui vit cent ans, bien completz à l'vsance d'Egypte, & vault l'année Egyptienne quatre ans communs & vsitez.

Quomodo hominem qui ad iustã ætatem vixerit.

HOminem qui ad legitimã ætatem vixerit significare volentes, Cornicẽ pingunt, viuit enim hæc cẽtum Aegyptiacos annos, annus autem apud Aegyptios est quatuor annorum.



Quomodo hominem malitiam suam tegentem.

HOminem malitiam suam tegentem, nec ab aliis cognosci promittentem cum volunt significare, Pardum pingunt, venatur enim pardus & insequitur cætera animalia ex occulto, ac singulatim, nec pernicitatem suam cognosci sinit, vt minus caueāt ab eo animalia, quæ insequitur ad pastum.

Comment ilz demonstroiēt vn homme qui cache son forfaict & malefice.

POur designer vn homme couurant son maling & dangereux courage, entre ses cōgnoissans, ils paignoient vn Leopard, pourautant que sa nature est de poursuyure secrettement les autres animaulx, voyre sans leur donner à congnoistre l'impetueuse viuacité qui est en luy, & dont il vse en les voulant surprendre.



Comment ilz exprimoient vn homme estant deceu par flaterie.

Quomodo hominem adulatione deceptum.

ILZ *paignoient vn* Cerf *escoutant vn sonneur d'instrument, en consideration de ce que ceste beste prēd merueilleux plaisir à l'armonie musicale, mais ce pendant les veneurs le surprennent facilement.*

HOminem adulatione deceptū significare volentes, Ceruum pingunt cū tubicine, demulcetur enim ceruus cantus modulamine, ac sic quodammodo oblitus sui capitur.



Quomodo præcognitionem abundantis vindemiæ.

PRæcognitionem abundantis vindęmiæ ſignificare volentes, Vpupam pingunt, ipſa enim ſi canat antequam vites germinent, futura vini copia ſignificatur.

Comment ilz denotoient le preſage d'abondante vinée.

POur ceſt effect ilz paignoient vne Huppe, que ſi elle chante deuant le temps que le vin doit monter au ſerment, elle denonce que le vin ſera bon, & qu'il y en aura grande abondance.



Comment ilz figuroiēt l'hō-
me à qui le menger des
raisins auoit faict mal.

Voulans donner à entendre que le trop menger des raisins auoit porté dommage à quelque patient, qui toutesfois se guerissoit par abstinēce, ilz paignoiēt la sudicte Huppe, auec vne herbe appellée par les Grecz Adianton, par les Latins Capillus Veneris, & par les François Sauge d'oultremer, à raison que si ceste oyseau se sent greué d'auoir mengé trop de raisins, il tient de ceste herbe en son bec, & apres certain temps passé, il en recouure la santé esgarée.

Quomodo hominē cui vua pastus nocuerit.

Hominem cui comesta vua nocuerit, & qui ob id seipsum curet significare volentes, Vpupam pingunt & Adiantū herbam. Vpupa enim vua pasta læsa, inuentum adiantum in os immittit, ac sic conualescit.

Quomodo



Quomodo hominem cauentem sibi ab inimicorum insidijs.

HOminem sibi cauentē ab inimicorum insidiis cum volunt significare, Gruem vigilantem pingunt, grues enim seipsas custodiunt tota nocte per vices vigilias facientes.

Comment ilz representoiēt vn homme se donnāt garde des aguetz de ses malueillans eennemyz.

LE *pourtraict d'vne Grue veillante signifioit cella entr'eux considere qu'vne troupe de ces oyseaux se conserue par tel moyen, et à ceste cause fōt le guet tout au lōg de la nuyt l'vn apres l'autre.*



Comment ilz descriuoient la deshõneste affectiõ qu'vn malheureux porte aux enfans.

Pour denoter le peché contre nature, ilz paignoient deux Perdrix masles, lesquelz estans priuez de leurs femelles, abusent adonc l'vn de l'autre.

Quomodo pædicationem.

Pedicationem significare volentes, geminos mares ex perdicibus pingunt, illi enim amissis fœminis in uicem coeunt.



Quomodo senem inedia enectum.

SEnem inedia enectum significare volentes, Aquillam pingunt cum curuato rostro, illi enim senescenti incuruatur rostrum, & ea de causa inedia absumitur.

Comme ilz designoient vn vieillard mourãt de faim.

POur ce faire ilz paignoient vn Aygle ayant le bec crochu, en consideration de ce que quand cest oyseau vieillit, son bec se croche tant qu'il ne peult plus menger, & par ainsi meurt de famine.



Cōme ilz representoient vn home estant en mouuement perpetuel auec agitation de pensée.

DE si sans faire entēdre qu'vn personnage estoit en trauail sans cesser, auec perturbation de courage, si bien qu'il ne trouuoit nul repos en sa vie, il paignoient la Corneille auec ses petiz, pour autant que le naturel de cest oyseau est de paistre ses Cornillaux en volant.

Quomodo hominem inquietū semper & iracundum.

HOminem inquietū semper & iracundum, ac nec quidem dum comedit quiescentem, cum volunt significare, Cornicem cum pullis pingūt. Cornix enim dum pullos pascit, semper est in cursu.



Quomodo hominem cœlestium gnarum.

HOminẽ cœlestium gnarum significare voientes, Gruem volentem pingũt hæc enim ita alte volat, vt nubes videat & tangat.

Comment ilz descriuoient vn homme bien entendant le cours du ciel.

QVand ilz vouloient signifier vn personnage bien expert en Astrologie, ilz figuroient vne Grue volãte, à raison qu'elle monte si hault que son œil voit de pres les nuées qui fait qu'elle n'est agitée d'aucuns orages, ains en ceste region haulte y treuue repos à souhait.



Comment ilz figuroient vn homme escartant ses propres enfans hors d'auec soy par grande oppressiõ de poureté.

Ilz paignoient vn faulcon ou Sacre couuant ses œufz qu'il pond en nombre de trois sans plus & de ceulx en choisit vn, qu'il veult esclorre pour nourir le petit, & casse les autres deux, pource que durant sa couuade les serres luy tombent des piedz, à l'occasion dequoy ne luy seroit possible de nourir trois Sacretz ensemble.

Quomodo hominem alienantem proprios liberos ob paupertatem.

Hominem alienantem proprios liberos ob paupertatem cum volunt significare, Aquilam prægnantem pingunt, illa enim parit tria oua, ex quibus elegit vnum, duo reliqua frangit, hoc autem facit, quia tunc temporis vngues mutat, & hac de causa non potest tres eodem tempore pullos alere.



Quomodo hominem tardum in mouendis pedibus.

HOminem tardũ in mouendis pedibus significare volẽtes. Camelum pingunt, ille enim ſolus ex aliis animalibus crura in eundo incuruat, & ex hoc habet appellationem.

Comme ilz ſignifioient vn homme lent & tardif à remouuoir ſes piedz.

LA figure d'vn Chameau le denotoit en leur endroict, pour autant que ce ſeul animal entre tous autres, courbe en arriere les iarretz en cheminant, acte dont il a pris ſon nom, car Camilos en Grec, eſt quaſi à dire que camiros ſignifiant courbement de iarretz.



Comme ilz merquoient vn homme impudent, c'est à dire qui n'a point de honte, & auec ce qui a lœil prompt & voyant clair.

Pour ce faire ilz designoient vne Grenouille, laquelle n'a du sang qu'aux yeulx, & pourtant sont dictz impudentz ceulx la qui les ont rouges, suyuant le vers du poete Homere sonnant ainsi.

Gros yurongne a la veue rouge.
Effronté, de Cerf ayãt cœur, &c.

Quomodo hominem impudentem & acuti visus.

HOminem impudẽtem & acuti visus significare volentes, Ranam pingũt, hæc enim sanguinem non habet, nisi tantum in oculis, eos autem qui illic sanguinem habeant impudentes vocant, vnde Homerus.

Ebrius, canis oculos habẽs, & cor cerui.



Quomodo hominem qui se mouere nequeat.

Comme ilz representoient vn homme paralitique, ayant recouuré sa santé.

HOminem qui multum tempus se mouere nequeat, postea vero mouendi se vires consequatur, cum volunt significare, Ranam pingunt, pedes posteriores habentem, ranæ enim nascuntur sine pedibus, qui tamen procedente tẽpore subcrescunt.

POur demonstrer vn personnage qui a esté long temps sans se pouuoir ayder de tous ses membres, mais qui en fin a recouuré le mouuement des iambes, ilz paignoient vne Grenouille, qui auoit sans plus les piedz de deuant, à raison que cest animal naist sans piedz, mais peu à peu ainsi qu'il croist se forment ses piedz & ses iambes, toutesfois prealablement ceulx du deuant que du derriere.



Comment ilz denotoient vn homme ennuyeux & mal voulu de tout le monde.

VN qui estoit ennuyeux à tous hommes, & aussi qui fuyoit la compaignie de chacun, se representoit par la figure d'vne Anguille, en consideration de ce que tel poisson ne hante iamais auec aucune autre espece.

Quomodo hominem omnibus inimicum.

HOminem omnibus inimicum significare volẽtes, Anguillam pingunt, hæc enim seorsum ab aliis piscibus degit, neque temere cũ aliis inuenitur.



Quomodo hominem seruantem multos in mari.

HOminem seruantẽ multos in mari significare volentes, Narcam piscem pingunt, hic eim cum viderit pisces defessos, iam nec amplius natare valentes, prę sto est illis ac seruat.

Comment ilz denotoient vn homme qui engarde plusieurs de perir en la mer.

POur ce faire ilz paignoiẽt vn poisson nommé en Latin Torpedo, & en nostre François Tu pi le, pour autant que quand cestuy la en voit d'autres qui ne peuuent plus nager, il les attire à soy, & par ce moyen les conserue.



Comment ilz remerquoient vn homme qui despend inutilemẽt les choses tãt bones que mauuaises.

Cela estoit representé par vn Polipe, autrement Poulpre: qui est vn poisson glout & gourmant de sa nature, mesme qui deuore tresintemperement, & quãd il a faict prouision de beaucoup de mengealle en sa cauerne, apres auoir consumé les bonnes viandes en fin il gette les mauuaises, & par ainsi demeure en indigence.

Quomodo hominem qui vtilia & inutilia male consumpserit.

Hominem qui vtilia & inutilia male consumpserit significare volentes, Polypum piscem pingunt, hic enim multum & intemperanter edens, cibum congerit in caueam, & cum e- sui apta consumpserit, abiicit, & reliqua inutilia.



Quomodo hominem hominibus sui generis imperantem.

HOminem hominibus sui generis imperantem significare volentes, Carabum & polypum pingunt superant enim carabi polypos, ac primas tenent.

Cõment ilz descriuoiét celuy qui domine sur ceulx de sa propre lignée.

IL*z paignoient vn Carabe, qui est vne espece de Cancre marin autrement appellé Langouste, auec le Poulpre dessus mentionné: pour autant que ledict Carabe domine sur les Poupres, & tient entr'eulx le premier lieu.*



Comment ilz designoiẽt vn homme amoureux d'vne femme, depuis le commẽcement de son aage.

Pour donner à entendre qu'vn homme estoit amoureux d'vne femme depuis sa premiere ieunesse, ilz figuroient des huystres engrossyes, pource que ces poissons s'engendrent en la cocque, & peu apres en elle mesme ilz viennent à frayer ensemble, & à procréer des petitz.

Quomodo hominem iunctum mulieri.

Hominem iunctum mulieri significantes, Conchas pisces pingunt, ipsæ enim in conchis genitæ, panlo post in ipsis conchis mutuo iunguntur.



Quomodo hominem qui seipsum non curet.

HOminem qui seipsum non curet, verum à propinquis curetur signifi care volentes, Concham & cancrũ pingũt, adhæret enim cancer conchæ, & vocatur pinnophylax, id est, conchæ custos, hiat aũt cõcha cũ esu rit, in eã igitur hiãtẽ cũ pisci culus intrauerit, pungit cancer vngula concham, hæc ve ro admonita cõcham claudit, & hoc modo venatur pisciculos..

Comment ilz exprimoient vn homme qui ne prend point garde à soymesme.

VOulans representer vn pere de famille, ou autre personnage n'ayãt soucy de soy, ains qui est traicté de ses domestiques ou prochains, ilz paignoiẽt vne huystre & vn Cancre, à raison qu'il demeure cõme collé auec la chair de l'huystre tant il s'en mõstre curieux, & pour ceste cause il est surnommé par les Grez Pinophilax, qui vault autant à dire, comme gardien de l'huystre, veu mesmement que quand elle a grand faim à lors elle entr'ouue bien fort sa cocque, & s'il se met dedans quelque petit poisson, le Cancre incontinent picque l'huystre d'vn de ses piedz fourchuz, au sentiment deqnoy elle incontinent se reserre, & ainsi se paist de poisson.



Comme ilz signifioient vn homme gourmant vomissant.

Pour demonstrer vn gourmãt lequel apres auoir rendu sa gorge, retourne derechef gloutonneusement gourmander, de sorte qu'il semble que iamais ne sera plein, ilz paignoient vn Chat *d'eau, lequel enfante* Par la bouche, *& en nageant deuore ses petiz.*

Quomodo hominem cibum euomentem.

HOminem euomentem ac rursus immoderate comedentem significare volentes, Musipulam aquaticũ animal pingunt, hæc enim ex ore parit, postea vero natans fœtum deglutit.

Quomodo



Quomodo hominem cum alienigenis coeuntem.

HOminem cum alienigenis coeuntem significare volentes, Myrannam piscem pingunt, hæc enim è mari egressa viperis admiscetur, ac statim ad mare recurrit.

Comment ilz descriuoient vn homme qui a frequentation auec les gens estrãges.

EN *desirant bien exprimer vn homme qui prend plaisir de conuerser auec les estrangers, ilz figuroient vne Lamproye, laquelle montant de la mer aux riuieres, se mesle parmy les viperes, & tost apres s'en retourne à la mer.*



Comme ilz signifioient vn hõme chastié pour auoir cõmis quelque meurtre.

POur designer vn personnage ayant porté la peine d'vn homicide perpetré, de maniere qu'il s'en repent, ilz paignoient vne Tourterelle prise à vn las courãt pource que quand elle se voit attrapée, incõtinẽt se dessaisit d'vn picquant qui est en sa queue.

Quomodo hominem ob cædem punitum.

HOminem ob cædem punitum significare volentes, Turturem laqueo captam pingunt, hæc enim detenta abijcit, quam habet in cauda spinam.



Quomodo hominem aliena comedentem intemperanter.

HOminem aliena comedentem ac deinde sua consumentem significare volentes, Polypum pingunt hic enim si desint sibi cibi, ex suis capillamentis edit

Comment ilz remerquoient vn homme lequel vit prodigalemẽt des biẽs d'aultruy.

LE *deuoreur de subſtãce eſtrãgere, apres auoir consumé la sienne propre, eſtoit repreſenté par vn* Poulpre, *s'il ſe treuue en indigence ayant cherché par tout à viure, ſe menge luy meſme les piedz.*



Cōmment ilz denotoient vn persōnage singulieremēt curieux des choses belles & honnestes.

Voulans mettre deuant les yeulx vn gentil cœur qui s'adonne du tout à choses vertueuses & notables, ilz paignoient vne Seche, à raison que si elle voiq'on luy tende vn filé pour la surprendre : elle gette dans l'eau vn sang noir & trouble à merueilles, & par ce moyen ne peult plus estre veue, dont elle eschappe ce dangier.

Quomodo hominem pulchra appetentem.

HOminem pulchra appetentem, ac pro his vltro mala subeuntē cùm volunt significare, Sepiam pingunt, hæc enim si videat sibi insidias tendi, aquam turbat profuso ex aluo atramento, atque ita piscatorem fugit.



Quomodo hominem libidinosum.

HOminem libidinosum significare volentes, Passerculum turrianum pingunt, hic enim & ira concitus, & abundanti spermate vexatus, septies in hora coit, abũdanter sperma emittẽs.

Comment ilz figuroient vn homme fort adonné au seruice des dames, & ce neantmoins de fertile nature.

POur demonstrer vn homme abondant en semence, ilz paignoient vn petit passereau de muraille, à cause que cest oysillon estant esmeu de colere immoderée, & auec ce remply à desmesure de ce qui est propre à la generation, couure en vne heure par sept fois sa femelle, & si en rend à chacun coup ce qui suffit pour la faire contente



Comment ilz deſignoient vn homme qui a quelque proprieté d'attirer les autres à l'aymer, & à s'accorder auec luy.

CEla ſe faiſoit par la figure d'vne Lyre, à raiſon que continuellemẽt elle garde ſõ armonye.

Quomodo hominem eundem tenorem vitæ ſeruantem.

HOminem eundem tenorem vitę ſeruantem ſignificare volentes, Lyram pingunt, hæc enim eundem ſonum continuat.



Quomodo hominem qui ab insipientia resipuerit.

HOminem qui ab insipientia resipuerit, ac inde modum suæ vitæ habuerit significare volentes, Fistulam pingunt, hæc enim maxime cõuertit ac retinet hominem, & in memoriam redigit ea quæ animo obsequens perpetrauerit, & habet hæc sonum maxime cõpositum.

Comment ilz depaignoient vn hõme ayant esté troublé de son cerueau, mais qui puis apres est reuenu en son bon sens.

POur faire entẽdre qu'vn hõme a esté autresfois fol, mais par succession de temps il est deuenu sage, & a donné bon ordre à sa façõ de viure, ilz representoient vne fluste, en consideration de ce que cest instrument resiouyt bien fort le courage, mesmes reduyt en memoire à chacun les choses qu'il a autresfois faictes à son gré & plaisir, au moyen du doulx son qu'elle rend.

Comment ilz exprimoient celuy qui faict egalement iustice à tout le monde.

LA plume d'vne autruche representoit cela entr'eulx, à raison que cest oyseau la entre autres a les plumes de ses aesles egales de tous les costez.

Quomodo hominem æquale vnicuique distribuentem.

HOminem æquale vnicuique distribuentem significare volētes, Strothocamili pennam pingūt, hoc enim animal habet vndique alarum pennas æquales.




Quomodo hominem laboriosum.

HOminem laboriosum significare volētes, manum hominis pingunt, hæc enim omnia opera perficit.

Comment ilz remerquoient vn homme estant curieux de bastir.

POur ce faire ilz paignoient vne main d'autãt que c'est l'instrument de nature, lequel parfaict tous les ouurages.



nineteen

Candia

eighteen

APPENDIX AD VETEREM CODICEM.

Additions oultre le Liure antique.



Quomodo futuram vitam, aut salutem expectandam.

AD denotandam vitam futuram, aut salutem speratam, duas lineas ducunt, vnam transuersam cadentem in perpendicularem alteram, in formam Crucis: nullam aliam huius rei rationem assignantes, nisi quòd id esset significatio diuini mysterij.

Cōmēt ilz signifioiēt la vie future ou le salut à venir.

POur signifier la vie future ou le salut à venir, ilz figuroient deux lignes, vne en trauers sur vne autre perpendiculaire, en forme de croix: & de cela ne donnoient autre raison, fors que c'estoit vne signification de diuin mystere.



Comment ilz designoiẽt les deux. principales vertuz d'vn Roy.

Pour signifier les deux principales vertuz d'vn Roy, ilz paignoiẽt vn sceptre, & vn œil au dessus: signifians par le sceptre noble & humaine domination, & par l'œil que le prince doibt estre regardant & bien pouruoiant à son peuple.

Quomodo Duas præcipuas Regis virtutes.

VT duas præcipuas Regis virtutes significent, sceptrum efformant, supra quod est oculus. Inumera volentes sceptri nomina, humanam ditionem & potentiam: per oculum verò prudentiam Principis in suis rebus, & vigilantiam in procurandis subditorum suórum commodis.




Quomodo mortem, aut hominis exitum.

AD exprimendum vltimum hominis finem, pigunt fusum fili plenum, & filum extremum ruptum, ac si diuulsum esset à colo. Nã poëtæ fingunt, parcas, id est deas fatales vitam humanã nere. Scilicet Clotho colũ gestat lachesis, quæ sortẽ significat (vita enim nostra sors est) filum trahit. Atropos, quæ inconuertibilis interpretatur (quæ flecti aut exorari nõ potest) filũ scindit.

Comment ilz exprimoient la mort, ou la fin de l'hõme.

POur exprimer la fin de l'homme, ilz paignoient vne fusée de fil, & le bout du fillet rõpu, cõme s'il estoit saparé de la quenoille : pource que les Poetes faignent que les deesses fatales fillent la vie humaine, c'est à scauoir Clotho tenant la quenoille, Lachesis qui signifie sort ou aduenture, car nostre vie est vne aduenture, laquelle fille: & Atropos interpretée incõuertible, ou qui ne se peult flechir, rompt ou bien trenche le filet.



Comment ilz figiroient la vie.

Pour figurer la vie, ilz paignoient vne lampe ardente, pource que pendant que la lampe est allumée elle esclaire, mais si elle est estaincte on est en tenebres: ainsi quand l'ame est partie de nostre corps, nous n'auons plus de veue ne de lumiere.

Quomodo vitam.

Vitam designare volẽtes pingunt lampadem ardentem: quia quandiu viuit ignis, suo splendore illustrat omnia: sed si extinctus est, tũc obscuræ tenebræ. Ita quando anima excessit é nostro corpore, omni prorsus lumine caremus.



Quomodo laborem.

LAborem adumbrare cupientes Bouis caput delinebant, carne nudatum: Bouis, inquam, caput: quia bobus terra aratur, qui præcipuus labor est & magis. necessarius, carne aũt nudatum: quoniam laboriosi homines plerumque macilenti & pallidi.

Comment ilz demonstroiẽt labeur.

POur entendre labeur ilz paignoient vne teste de beuf, denuée de chair : la teste de beuf, pource que auec les beufz on faict tout labourage: et denuée de chair pource que gens de labeur & qui souuent trauaillent sont communement maigres.



Comment ilz signifioient Dieu.

Pour signifier Dieu ilz paignoient vn œil, pource qu'ainsi que l'œil veoit & regarde ce qui est audeuant de luy, ne plus ne moins Dieu veoit, considere & cognoit toutes choses.

Quomodo Deum.

AD Deum denotandum oculum pingunt. Nam quemadmodum oculus ea videt quæ sunt ante se: sic Deus omnia videt ac contemplatur.

Quomodo



Quomodo Deos *infernos, quos manes vocabant.*

VT deos infernos demõstrent, quos manes appellant, vultum hominis pingunt, sine oculis, & suprà, duos oculos. Propterea quòd per oculos, deos significant, vt dictum est, & per vultum sine oculis eos, qui sunt in locis inferioribus caligine oppletis.

Comment ilz demonstroiẽt les dieux iufernos qu'ilz appelloient Manes.

POur demonstrer les dieux infernaulx qu'ilz appelloient Manes, ilz paignoient vn visage sans yeulx, & audessus deulx yeulx: pource que par les yeulx ilz signifioient les dieux (comme dict est) & par le visage sans yeulx, ceulx qui sont en lieu bas obfusqué de tenebres.



Quid per pullum Aquilæ. Quoy par petit d'vn Aygle.

PVllus Aquilæ quandoque etiam ſignificat maſculum, aliàs rem rotundam, aliàs ſperma aut hominis ſemen.

VN *Aygleron ſignifioit auſſi aucunesfois vn maſle, aucunefois vne choſe bien ronde, & d'autresfois la ſemence de l'homme.*



Comment ilz exprimoient vne bataille rengée, & le premier front apprefté à combatre.

Quomodo Bellum.

DVæ hominis manus depictæ, quarum vna clypeum, altera arcum tenet, hoc denotant.

D*Eux mains d'homme pourtraictes, l'vne tenant vne rondelle, & l'autre vn arc signifioient cela.*



Quomodo futurum opus.

AVris depicta intentum & paratum hominem ad aliquid agendum significat.

Comment vn ouurage auenir.

VNe oreille pourtraicte, signifioit vn homme estre ententif à faire quelque chose.

Comment ilz denonçoient vn moys.

POur cela ilz faisoient la figure de la Lune *, en la maniere que cy deuant est dicte, mais elle embrassoit xxviij. iours æquinoctiaulx seulemēt, chacū de xxiiij heures, au commencemēt desquels on la voit apparoir nouuelle dessus nostre hemisphere : mais durant les deux restans du nombre de trēte pour parfaire le moys, nous disons qu'elle est en son occident.*

Quo

AD hoc exprimendum, figuram lunæ, eo quo suprà iam declarauimus modo: sed xxviij. dies æquinoctiales tantū complectitur, horúmque singuli xxiiij. sunt horarum : in quorum principio noua videtur apparere supra nostrum hæmisphærium. Duobus verò qui ex numero trigesimo restant ad mensem perficiendum, dicimus illam esse in suo occasu.

one




Italy


PICTA POESIS OVI-
DIANA.

THESAVRVS PRO-
PEMODVM OMNIVM

FABVLARVM POETICARVM, FAVSTI SABAEI BRIXIANI, aliorumq; clarorum virorum (quorum Nomenclatura Dedicationem proximè sequitur) tam Veterum, quàm Recentium, Epigrammatis expositarum.

OPVS SANE LEPIDVM, ET ARGVTVM, lectuq; inprimis vtile, ac iucundum.

EX RECENSIONE NICOLAI REVSneri, Iurisconsulti, & Poëtæ Laureati.



Cum Gratia & Priuilegio Cæsareæ Maiestatis.
Impressum Francoforti ad Mœnum.
M. D. LXXX.

AD LECTOREM.

Picturam vocitas Poëma mutum?
Sit pictura loquens, Poëma rursus.
Pingit, quæ loquitur Poëta, pictor:
Visum hic pascit, & ille pascit aures.

AD ILLVSTRES, ET GENEROSOS DOMINOS, D. MARCVM, & D. IOANNEM FVGGEROS, *Liberos Barones Kirchberga, & Vueissenhornæ, Musarum Patronos incomparabiles.*

ELIAE REVSNERI LEORINI PRAEfatio.

ANNI sunt circiter viginti sex: quum Faustus Sabæus Brixianus, custos Bibliothecæ Vaticanæ, in publicũ emisit Romæ, Epigrammatum suorũ libros quinque: quorum primum inscripsit de Dijs: secundum de heroibus: tertium de amicis: quartum de amoribus: postremum de miscellaneis. Quem equidem scriptorem, vt doctum, & eruditum: ita lepidum inprimis, & venustum: & quantum ego iudicare possum, ad leporem Catulli, & acumen Martialis quàm proximè accedentem: perpaucis studiosis hactenus cognitum, lectumq; esse arbitror: propterea quòd eius copiam habere nõ potuerunt: qui semel duntaxat excusus, in paucorum hominum manus peruenerit: aut saltem in magnis hactenus bibliothecis delituerit. Sanè ego quum auctorem hunc primùm viderem: ex lectione eius magnam, & incredibilem cepi voluptatem: & non semel optaui, eum denuò typis edi, atq; euulgari. Qua in cogitatione ego dum versor: forte for-

tuna incido in libros quosdam, & commentarios: quos in adolescentia sua iam olim elucubrauerat frater meus Germanus (quē amoris, & officij caussa nomino) Nicolaus Reusnerus Iurisconsultus, & Poeta Cæsareus: inter quos tunc quoque reperi hæc Agalmata, siue Emblemata, ad P. Ouidij Nasonis Metamorphosin artificiosè effi cta: & Fausti Sabæi, aliorumq; illustrium Poetarum Epigrammatis illustrata: & in hunc ordinem, quem videtis, digesta. Quæ quum domi legerem accuratiùs: & iterum, atque iterum relegerem: visus sum mihi videre farraginem quandam omnium propemodùm fabularum antiquarum: quæ apud Poetas passim extant: maximè verò earum, quæ in Metamorphosi Ouidiana expressæ sunt: quæ est veluti Chronicon quoddam veteris historiæ Græcæ, & Romanæ: & amplissimus thesaurus eruditionis, sapientiæq; vniuersæ: cuius lectio non solùm ad informandos mores: verùm etiam ad multiplicem doctrinam, eloquentiamq; comparandam, plurimùm conducere videtur. Itaque ad editionem libelli huius animũ continuò adieci meum: quam à Germano meo, ea de caussa semel atque iterum compellato, facilè tandem impetraui. Sic enim futurum existimaui: vt non solùm ob Poesin, sed & Picturam, & vtriusq; artificium, acumenq; singulare: tùm verò ob fabularũ delectationem, & elegantiam doctrinæ reconditã, libellus iste omnibus gratus, acceptusq; haberetur: quem adolescentes studiosi nocturna versarent manu, atque diurna: neque vnquàm eius legendi fastidium

dium sibi facilè obrepere paterentur. Quæ nisi me fallit opinio: eiusdem auctoris libros de heroibus, fauente Deo Opt. Maximo, in meliorem ordinem digestos, paulò pòst in lucem dabo: vnà cum Anthologia veterum Poetarum Græcorum: Latina toga decenter, vt spero, amicta, atque exornata: nõ à me quidem, qui nihil tale de me promittere possum, nec debeo: verùm à claris, & doctis viris Europæ nostræ: quorum præclaris monumentis literarum ad omnem posteritatem vtimur ac fruimur. Cæterùm hunc libellum, Illustres & Generosi Barones, Clementiæ vestræ potissimùm inscribere, & dedicare volui: partim vt ex amplitudine, & dignitate nominis vestri, aliquid ei splendoris accederet: partim vt contra maleuolorum hominum insultus, & calumnias, qui nihil, nisi quod ipsi faciunt, rectè factum autumant, hac velut ægide Palladis, probè munitus, in publicum prodiret audaciùs: eademq́ opera hoc veluti trophæum, & monumentum exstaret laudis, & gloriæ: quam ingenij, doctrinæ, sapientiæ commendatio apud omnes bonos familiæ vestræ hactenus peperit. Quis enim est, cui non sit nota, atque explorata virtus, & magnificentia Fuggerana: cum summa grauitate, & auctoritate coniuncta: cuius ornamenta exstant passim in Repub. Augustana quàmplurima: inter quæ non postremũ locum obtinent (vt innumera alia prætercam) tot venerandæ antiquitatis monumenta egregia: magno studio, & sumptu per Italiam, & Græciam vndique conquisita: tàm nobilis, & tam celebris Biblio-

theca, omni ſcriptorum genere inſtructa: tâm pulcra, & elegans ciuitas Fuggerana, tot pauperibus ciuibus ſuis, & viduis, pupillisq; coædificata: & quatuor portis vndique concluſa: tantum denique, & tâm ardens literarum, & literatorũ hominum ſtudium: & in vtroſque benignitas, liberalitasq; plus quàm regia, & pontificalis: quorum omnium æterna, maximeq; diuturna apud omnes homines futura eſt memoria: vt nulla eam vnquàm ſit obſcuratura temporum iniuria, aut obliuio. Sed nolo nunc plura de his ſcribere: neq; etiam de ſingularibus virtutibus veſtris, deq; toto illo genere bonorum, quæ in vobis maximè elucent, multa verba facere volo: ne adulationis nomine cuiquam me ſuſpectum reddam. Tantum Clementiam veſtram ſubmiſsè oro, atque obteſtor: vt munus hoc literarium ſereno animo, vultuq; excipiat: & hoc quicquid eſt ſtudij, & laboris mei, ad hanc editionem collati, gratum acceptumq; habeat. Kal. Sextilib. M. D. LXXIX.

ILLV-

ILLVSTRIVM POETARVM NOMINA, QVORVM EPIgrammata in hoc libello leguntur.

M.

M. Ant. Casanoua.
M. Valer. Martialis.
Mich. Marullus Tarch.
M. Tull. Cicero.

N.

Nicol. Reusnerus.

P.

P. Melissus.
Petron. Arbiter.
P. Lotichius Secundus.
P. Ouidius Naso.
P. Virgilius Maro.

Q.


Q. Flaccus Horatius.

S.

Stephanus Forcatulus.

T.

Tit. Lucretius.
T. Vesp. Stroza.



ΑΓΑΛΜΑ ΤΟ ΓΟΙΗΣΙΣ,

Siue

PICTA POESIS OVIDIANA.

CVM EPIGRAMMATIS ILLVstrium Poëtarum, tàm veterum, quàm recentium.

IN CHAOS.

P. OVIDII NASONIS.



Me Chaos antiqui (nam sum res prisca) vocabant:
Aspice, quàm longi temporis acta canam.

 Lucidus

Lucidus hic aër, & quæ tria corpora restant,
Ignis, aqua, & tellus, vnus aceruus erant.
Vt semel hæc rerum secessit lite suarum,
Inq; nouas abijt massa soluta domos:
Cœlum flamma petit: propior locus aëra cepit:
Sederunt medio terra, fretumq; loco.
Tunc ego, qui fueram globus, & sine imagine moles:
In faciem redij, membraq; digna Deo.

IO. POSTHII.

Qui cecinere Chaos Graij, vatesq; Latini,
Omnia senserunt numine facta DEI.
Taliaq; è sacris veteres hausisse Poëtas
Credibile est; nugis sed temerasse suis.

BAR. ANVLI.

Si terræ cœlum se misceat, & mare cœlo:
Sol Erebo: tenebris lumina: terra polo:
Quattuor & mundi mixtim primordia pugnent:
Humida cum siccis, frigida cum calidis:
In Chaos antiquum omnia deniq; confundantur:
Vt cum ignotus adhuc mens Deus orbis erat:
Est mundanarum talis confusio rerum:
Quo regina latet tempore iustitia.

DE

DE CVPIDINE COELESTI.



P. OVIDII NASONIS.

PRima fuit rerum confusa sine ordine moles:
Vnaq; erat facies, sidera, terra, fretum.
Mox cœlum impositum est terris: humus æquore cincta est:
Inq; suas partes cessit inane Chaos.
Silua feras, aër volucres accepit habendas:
In liquida pisces delituistis aqua.
Tunc genus humanum solis errabat in agris:
Hisq; meræ vires, & rude corpus erat.
Silua domus fuerat: cibus herba: cubilia frondes:
Iamq; diu nulli cognitus alter erat.
Blanda truces animos fertur mollisse voluptas:
Constiterant vno fœmina virq; toro.

Quid facerent, ipsi nullo didicêre magistro:
Arte Venus nulla dulce peregit opus.

FAVSTI SABAEI.

Ante orbem, magnoq́; nitentia sidera cœlo,
Et volucres superos: non tamen antè chaos:
Anceps stabat adhuc, confusa educere ab aluo
Mundi opus, & terram pingere, & astra Pater.
Quum caput ambrosium quassans, produxit Amorem:
Cuius ab exortu prosiliêre Dei.
Lux micat: vnda fluit: tellus grauat: hinc animantûm
Sunt genera: & plantæ, saxa, metalla, & homo.
Diuus homo, postremum animal: sed imago superni
Vera Dei: immò hæres, filius, atq; Deus.

DE PROMETHEO, FABRICATORE HOMINVM.

F. SABAEI.

EX tellure hominem fingens, conscendis in astra:
Viuificos ignes Solis ab axe rapis:
Quîs animas glebam: veluti natura, Deusq́;:
Humanum reparans absq; parente genus.
Nec maiora valent superi, diuine Prometheu,
Nec grauiora homines supplicia vlla pati.

Q. HORATII FLACCI.

Audax omnia perpeti,
Gens humana ruit per vetitum nefas.

P. OVIDII NASONIS.

Terra feros partus, immania monstra, gigantes
Edidit: ausuros in Iouis ire domum.
Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues:
Atq; ait: in magnos arma mouete Deos.
Extruere hi montes ad sidera summa parabant:
Et magnum bello sollicitare Iouem.
Fulmina de cœli iaculatus Iuppiter arce:
Vertit in auctores pondera vasta suos.

FAVSTI SABAEI.

Qui coaceruârant iam montes montibus altis:
Pulsabantq; suis sidera verticibus:
Infractos premit Inarime, Lipara, Aetna Gigantes:
Pondere nixa suo, nec superare potest.
Mortua gens solidæ quassat fundamina terræ:
Nil mirum, viuos si timuêre Dei.

CAELII CALCAGNINI.

Terrigenæ victi: victor Saturnius: actis
Vndiq; Phlegræis molibus horror erat.
Mœsta parens tellus, in vites ossa redegit
Cæsorum: & vinum est, qui modo sanguis erat.
Ah ne quis mala vina bibat, de sanguine nata:
Qui biberit: cædes, exitiumq; bibet.

IN IOVEM FVLMINATOREM.



FAVSTI SABAEI.

Pone tuum fulmen, Rex maxime, & aegida: postquàm
Tuta Giganteo sunt tua regna metu.
Namq; patrem, in natos crudelem, in vincla coërces:
Titanas diros Tartara nigra tenent.
Nectare laetandum: Iunonia misceat Hebe:
Cantet Apollo: Choros ducat & alma Venus:
Totq; modis saltet, quot nomina possidet Euan:
Mortales Diuos gaudia vera trahant.
Pastores, armenta, & aues laetentur, & imbres:
Iactet Amor faculas, per sola, & astra, & aquas.

DE LYCAONE.



FAVSTI SABAEI.

QVondam oculos tollens ſublimia ad aſtra Lycaon:
Dixerat hæc ſecum, aut dicere viſus erat:
Nata, nepoſq́ue, ſumus quàm diſpare ſorte creati:
Vos decus aſtrorum, dedecus ipſe ſoli.
Vos cœlo erratis: Siluis ego, ſanguine gaudens:
Nectare vos, cum Dijs: quàm fera turpis ego.

IN DILVVIVM DEVCALIONAEVM.



NICOLAI REVSNERI.

QVid fugitis rapidas tantis conatibus vndas?
Si mare, si cœlum vos tegit, atq; solum?
Quid montes superare iuuat? quid deniq; siluas?
Si premit vltoris vos grauis ira Dei?
Tarda fuga est: quum iam fuga non super vlla pericli est:
Serò sapit, quisquis post sua fata sapit.
Dum licet, ô miseri, fugite improba crimina vitæ:
Infelix, si quem numinis ira premit.

DE NEPTVNO, ET TRITONE.



NICOLAI REVSNERI.

AEquora dum mulces posito, Neptune, tridente:
Lataq; dum Triton littora voce replet:
Iam venti ponunt: iam cessant nubila cœlo:
Inq; suos redeunt flumina iussa sinus.
Surgit humus: crescunt loca, decrescentibus vndis:
Moxq; solum profert gramina, silua comas.
Solus cum sola superest homo coniuge Pyrrha
Deucalion: hominum factor in orbe nouus:
Parnaßi quos arx vmbrosi celsa tuetur:
Dum scelerum pœnas cætera turba luit.

DE PYRRHA, ET DEV-CALIONE.



Q. HORATII FLACCI.

QVid Iouis fulmen toties fatigas?
Seculum Pyrrhæ graue formidabis:
Omne cùm Proteus pecus egit altos
Visere montes:
Piscium & summa genus hæsit vlmo:
Nota quæ sedes fuerat columbis:
Et superiecto pauidæ natarunt
Aequore damæ.

NICOLAI REVSNERI.

Dum genus humanum reparat cum coniuge Pyrrha
Deucalion: sortes poscit, aditq́; Themin:

Illa caput velare monet: tunicisq; recinctis
Frigida post tergum mittere saxa manu:
Parua mora est: vtrimq; volant post terga parentis:
Paulatimq; anima mollia saxa calent.
Nam maribus nudas ostendit Pyrrha puellas:
Quos format iactu vir, reparatq; suo.
Inde genus durum sumus, experiensq; laborum:
Congrua sunt rebus nomina sæpe suis.

DE IRIDE.



FAVSTI SABAEI.

IMbriferas inter nubes Hyperionis arcu
Circinat humentem virgo decora polum:
Dimidium intexens fluidisq; coloribus orbem:
Non formidandas Deucalionis aquas
Monstrat: acuq; iacit pictum exitiabile malum:
Quo mare, quo tellus, Dijq;, hominesq; gemunt.

IN PYTHONEM SERPENTEM.



CL. CLAVDIANI.

Phœbeo domitus Python quum decidit arcu:
Membraq́; Cyrrhæo fudit anhela iugo:
Qui ſpiris tegeret montes: hauriret hiatu
Flumina: ſanguineis tangeret aſtra iubis:
Iam liber Parnaſſus erat: nexuq́; ſoluto
Cœperat erecta ſurgere fronde nemus:
Concuſſaq́; diu ſpatioſis tractibus orni
Securas ventis explicuêre comas:
Et qui vipereo ſpumauit ſæpè veneno
Cephiſus: liquidis purior ibat aquis.

M. MARVLLI.

Tuta suis monstris, & iam noua Laurea Daphne:
Aspera amatori sic quoq; virgo suo:
Nunc ait, exulta ramos complexus inanes:
Vt tua sim, coniux non ero nempe tua.

DEC. AVSONII.

Pone arcum Pœan: celeresq; reconde sagittas:
Non te virgo fugit, sed tua tela timet.

DE PHOEBO ET DAPHNE.



FAVSTI SABAEI.

Vidit vt in truncum mutatos Phœbus amores
Esse suos: fusis rettulit hæc lacrymis.

Virgo mihi, atq; tibi crudelis, & improba Daphne:
Virgo tua nimium virginitatis amans:
O Daphne infelix: & ego temerarius: immò
Ipse procax nimium: tu quoq; dura nimis:
Dum refugis flammas: es facta obnoxia flammis:
Quas mihi iam dederas, experiare modò.
Excerpens ramum, & fructum, dedit oscula: & igni
Tradidit: ac strepitu prosiliere focis.
Tunc Phœbus miratus ait: fructum arida amarum
Vsq; ferens, flammis victa, repugnat adhuc.

STEPHANI FORCATVLI.

Virginis in laurum versæ Peneidos ora,
Aspiciens mœstus lurida, Phœbus ait:
Fronde triumphali succinctus, mitia saltem
Poma legam: Diuûm non ego malo dapes.
Heu solitos mores arbor tenet: & quod amarum
Extitit in Nymphæ pectore, bacca refert.

ANG. POLITIANI.

Complexus virides frondosæ virginis artus:
Sic quoq; mutata (dixit Apollo) fruar.
Vtq; nouas gustu baccas tentauit: eandem
Heu mihi seruat (ait) nunc quoq; amaritiem.

N. REVSNERI.

Nympha fui quondam Phœbi: nunc gloria belli,
Pacis honos, frontisq; decus, vatumq; corona.

DE LAV-

DE LAVRO ET QVERCV.

P. OVIDII NASONIS.

CAEsaris apposita tegitur cur ianua lauro?
Cingit & angustas arbor opaca fores?
An quia perpetuos meruit domus ista triumphos?
An quia Leucadio semper amata Deo est?
Ipsáne quòd festa est? an quod facit omnia festa?
Quam tribuit terris, pacis an ista nota est?
Vtq; viret semper laurus, nec fronde caduca
Carpitur: aeternum sic habet illa decus?


F. SABAEI.

Innuba sum Laurus: Cytharis & amica pharetrae:
Somnia vaticinans: imperialis honor.
Vsq; virens, ac vsq; valens depellere fulmen:
Meq; triumphali cinxit honore Deus:
Quem spreui, & fugi, quid si non dura fuissem?
Pulcra, sed insipiens virgo, & inepta fui.

EIVSDEM.

Viderat ornatos lauro frondente Poëtas:
Atq; triumphantes in media vrbe duces:
Per me, Phoebus ait, duplici celebraris honore
Daphne: inimica mihi, dum fugis, atq; tibi:
Facta triumphi ipsa es fugiens, & gloria vatum:
Quid? si mansisses obsequiosa mihi.

DE IO ET IOVE.



P. OVIDII NASONIS.

DVm seruat Iuno mutatam cornibus Iô:
Facta est, quàm fuerat, gratior ipsa Ioui.

EIVSDEM.

Astitit in ripa liquidi noua vacca parentis:
Cornuaq; in patrijs non sua vidit aquis.
Et conata loqui, mugitus edidit ore:
Territaq; est forma, territa voce sua.
Quid facis infelix? quid te miraris in vnda?
Quid numeras factos ad noua membra pedes?
Ipsa Iouis pellex magni, metuenda sorori:
Fronde leuas nimiam, cespitibusq; famem.

Fonte

Fonte bibis, spectasq; tuam stupefacta figuram:
Et te ne feriant, quæ geris arma times:
Quæq; modò, vt posses etiam Ioue digna videri,
Diues eras, nuda nuda recumbis humo.
Per mare, per terras, cognataq; flumina curris:
Dat mare, dant amnes, dat tibi terra viam.
Quæ tibi causa fugæ? quid, Iô, freta longa pererras?
Non poteris vultus effugere ipsa tuos.
Inachi quo properas? eadem sequerisq;, fugisq;
Tu tibi dux comiti, tu comes ipsa duci.
Per septem Nilus portus emissus in æquor,
Exuit insanæ pellicis ora bouis.

FAVSTI SABAEI.

Quæsierat natam toto Inachus orbe: parentis
Ignota hæc notos stabat & ante oculos:
Lambebatq; manus, vacca sub imagine, patris:
Bos, precio ereptæ virginitatis, erat.
Cui pulcræ genitor flores porgebat, & herbas:
Buccula tunc patri basia blanda dabat.
Dum tentat casum genitori prodere, mugit:
Iôq; cùm nequeat, tum pede scripsit, Eram.

EIVSDEM.

Terra nouos flores fundit, miserata puellam:
Quæ versa in turpem tam speciosa bouem:
Quas violas dicit violatæ nomine nymphæ:
Et pingit vario murice, honore, & acu.
Qualis erat iam monstrat odor, nix, purpura, & aurum:
Si Ioue, si violis, non boue digna fuit.

DE INACHO ET FILIA.



FAVSTI SABAEI.

PEr siluas, per agros Iô dum nata pererrat:
Inachus Inachidas luctibus auget aquas.
Facta Dea hæc patri ob luctum pœnè ora soluto:
Siste, (inquit) lacrymas: nata reperta tua est.
Perdita, & inuenta genitor, te ô filia, dixit,
Ora vsu ob fletum hæc humida semper erunt.

EIVSDEM.

Inachis vt proprias videt obrutescere plantas:
Hoc precium raptæ virginitatis? ait.
Bos ero, quæ fueram gentis pulcerrima nostra?
Iuppiter hæc prohibe: si tibi grata fui.

Cui Deus aßistens, quis fata adamantina vincet?
Fer patienter: eris de boue Diua breui.
Talem Pasiphaë questa est non esse iuuencam:
Bos es, bos & ego per mare amore fui.

AVR. PROPERTII.

Quæ Dea tam cupidos toties diuisit amantes:
Quæcunque illa fuit, semper amara fuit.
Tu certè Iouis occultis in amoribus Iô
Sensisti, multas quid sit inire vias,
Quum te iußit habere puellam cornua Iuno:
Et pecoris duro prodere verba sono.
Ah quoties quernis læsisti frondibus ora:
Mansisti stabulis abdita pasta tuis.
An quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
Iuppiter, idcircò facta superba Dea es?

ANDREAE NAVGERII.

In medijs Iô campis perpessa Tonantem est:
Horridaque hirsuta cornua fronte tulit.

DE ARGO ET MERCVRIO.



P. OVIDII NASONIS.

DVm nimium seruat custos Iunonius Iô:
Ante suos annos occidit: illa Dea est.

EIVSDEM.

Centum fronte oculos, centum ceruice gerebat
Argus: & hos vnus sæpè fefellit Amor.

B. ANVLI.

Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps:
At loquitur blando dulcius ore Colax.

Centum luminibus cinctum sic sopijt Argum
Blandula suauiloqui tibia Mercurij.
Nemò adeò vigil est, cui non imponere possit
Dulcis adulator nomine amicitiæ.

TIT. VESP. STROZAE.

Vt vigiles semper, nunquam tamen omnia cernes:
Decipit astutos ingeniosa Venus.
Iô non Argus, Danaën non ferrea clausam
Ostia seruârunt, Acrisiusq; pater.

DE ARGO.



FAVSTI SABAEI.

Miratur gemmis rutilantem, & sidere, & auro,
Iunonis volucrem iam Philomela vident.

Insomnem at postquàm, & stridorem sentit acutum,
Despicit: huic Argus tam benè pictus ait:
Occubui somno, & cantu: iam auersor vtrumq;
Hinc metuens vigilo: strideo & inde dolens.

DE SYRINGE ET PANE.



FAVSTI SABAEI.

OScula & amplexus Syrinx dum spernit amantis,
Stulta, & inepta, Dei: rustica arundo fuit.
Pœnituit facti: sed frustrà, & tarda: doloris
In signum, ventis virgo agitata gemit.

EIVSDEM.

Spreuit amatorem Syrinx, quod rusticus esset:
Et nunc est tantæ rusticitatis amans:

Quòd nisi paganis dependeat oribus vdis:
Fistula iam vilis, muta vel exanimis.

EIVSDEM.

Pelle, meo exitio, de corde puella rigorem:
Si non vis fieri vana, & arundo leuis.
Pana Deum spreui: sed nunc nisi pendeam ab ore
Pastorum, mœsta, & mortua vita mea est.
Oscula me, & morsus, me morsus, & oscula pascunt:
Quid si gustassem cætera, inepta fui.


IOAN. LAVTERBACHII.

Arcadico Syrinx quòd non dedit oscula Pani:
Facta paludoso tibia parua lacu.
Ingenuas tumido qui spernit pectore Musas:
A sanis fertur garrulus, atq; leuis.

B. ANVLI.

Quum Satyrus nympham petulans sequeretur amatam:
Incidit in lamam cæcus arundineam:
Dumq; ibi pro mersa suspiria ducit amica:
In calamis suauem sensit inesse sonum.
Protinus ergo vale longum tunc dixit Amori
Nymphæ: quem pepulit Musicus alter amor.
Ad calamos animum conuertit namq; canoros:
Hinc est septiforis tibia facta recens:
Fistula disparibus septem compacta cicutis:
Septem artes iunctas denotat ingenuas.

DE APOLLINE ET PHAETHONTE.



FAVSTI SABAEI.

Corrige vota puer, nato ingeminabat Apollo:
Non curru, at nostris vtere consilijs.
Persistit: currum ascendit: iam pallet: habenas
Laxat: & ignipedes exspatiantur equi:
Cuncta ardent: & cuncta queruntur: nec fuit auctor
Liber ab igne: vstas lauit in amne manus.

HIERONYMI ARCONATI LEORINI.

Currum ascenderat haud probante patre
Ignotum Phaëthon: equos feroces
Qui quum flectere, quum mouere lora
Dextra lubrica non valeret: arcem

Flammis horrificis Deorum adurit:
Vrit viscera montium, & patentes
Campos: flumina siccat: vrbiumq́;
Moles disijcit: in chaos vetustum
Mundi maximus ambitus redisset:
Ni fortè omnipotens pater trisulco.
Aurigam malè sanum, equosq́;, telo
Deturbasset ab axe summo Olympi.
Præceps vsq; adeò solet nocere
Sæpè audacia rebus in cupitis.

DE PHAETHONTE.



FAVSTI SABAEI.

M*Axima, parue puer, tentasti: flumine & ignes*
Vrere: & exurite omnipotente manu.

Viue,

Viues, donec erunt gemmæ, siluæ, atq; volucres:
Gemmæ obte, & siluæ multiplicant, & aquæ.

EIVSDEM.

De Phaëthonte Themis consulta hæc rettulit: orbem
Vret: & huic mortem terna elementa dabunt.
Solis equos moderans, mundum vßit: fulmine tactus
Corruit: emoriens aëre, & igne, & aquis.

IO. SECVNDI.

Dum patrios moderatur equos puer, impare dextra:
Perq; ignota vagum sidera curit iter:
Orbis opes varias cinerem mutauit in vnum:
Ah discat vires noscere quisq; suas.

DE PHAETHONTE.



P. OVIDII NASONIS.

VItaret cœlum Phaëthon, si viueret: & quos
Optauit stultè, tangere nollet equos.

EIVSDEM.

Haud natum in flamma vidisset, in arbore natas:
Cepisset genitor si Phaëthonta Merops.

P. MELISSI.

Sole satus Phaëthon incendia miscuit orbi:
Orbita quum rapidis excuteretur equis.

FAVSTI SABAEI.

Torrida conspiciens, & adhuc fumantia nati
Ossa, parens Clymene iam Phaëthontis, ait:
Monstrâsti quid eras: exurens sidera, & vndas:
Quumq; Iouis caderes omnipotente manu.
Nate dolor nobis: & nos tibi mortis acerba
Causa: pater curru, iussibus ipsa meis.

EIVSDEM.

DE CHARONTE ET PHAETHONTE.

Venerat horribilem Phaëthon combustus ad Orcum:
Cocyti infernam dum rate tranat aquam:
Téne veham? ipse Charon, puer ô temerarie, dixit:
Cuius ab igne mea est pœnè cremata ratis.
Cui puer: immò vehes bis: nam bis fata subiui:
Saucius & mersus, fulmine, & Eridano.

ALITER.

Iamdudum oraui cursum transmittere: & omnes,
Præter me, tristi deuehis amne Charon.

Parce (ait ille) in te tantum sese asperat ignis:
Quod cymbam in mediis, meq́; cremaret aquis.

DE CLYMENE.



FAVSTI SABAEI.

POst nati inferias Clymene, sub cortice nata,
Subq́; alis Cygnus cùm tegeretur, ait:
Nate, audi, è tumulo, Ligurum rex, atq; sorores,
Quàm tibi dulce canit, quàm preciosa gemunt.

EIVSDEM.

De Phaëthonte.

Vana quid attentas tumulum mihi ponere mater:
Perpetua Heliades ni monumenta dabunt:

Ira Iouis, superumq́, timor, soluq́, labores:
Aequora succensa, & flumina, stagna, lacus.

EIVSDEM.

Quid tumulum affectas falsò mihi pingere Apelles?
Verior ars finxit iam monumenta mihi.
Alba colore nigro Aethiopum mihi flebilis vrnam
Populus ardenti pinxit in Eridano.

NICOLAI REVSNERI.

Fratris inexpletum dum tristia funera deflent
Heliades: cortex pectora durus obit.

DE APOLLINE ET PHAETHONTE.



FAVSTI SABAEI.

Vidit vt extinctum multo Sol fulmine natum:
Obnubit vultus, illacrymatq; suos:
Dixit &, ô fili, mea te indulgentia, amorq;
Perdit, & effrenes dum spatiantur equi.
Tunc ira accensus, stimulatq;, feritq; iugales:
Illi indignantes vix patiuntur herum.
Nunc autem flammam ardentem, Phaëthonte perusto,
Conceptam patulis naribus, ore vomunt.

EIVSDEM.

Populе amara doles, & adhuc tristaris amorem
Fraternum: luctu tempora cana gerens.
Sat doluisti: & aquis hausisti triste fluentum:
Quod magis vndantes ferre nequit lacrymas.
Morte obijt celebri frater: qui rector equorum
Solis inaccessi vidit vtrunque polum.
Qui postquàm accendit terras, & flumina, & aequor,
Astraq;: terrori Dijs fuit, atq; Ioui.
Igne perire Iouis plus est, quàm viuere: vixit
Magnus: & afflatus fulmine, maior obit.

DE IO.

DE IOVE ET CALISTO.



P. OVIDII NASONIS.

INter Hamadryadas, iaculatricemq́; Dianam,
Calisto sacri pars fuit vna chori.
Illa Deæ tangens arcus: quos tangimus arcus,
Este meæ testes virginitatis, ait.
Cynthia laudauit, promissaq́; fœdera serua:
Et comitum Princeps tu mihi, dixit, eris.
Fœdera seruasset: si non formosa fuisset:
Cauit mortales: de Ioue crimen habet.
Læsa furit Iuno, formam mutatq́; puellæ:
Quid facis? inuito est pectore passa Iouem.
Vtq́; feræ vidit turpes in pellice vultus:
Huius in amplexus Iuppiter, inquit, eat.

AVR. PROPERTII.

Iô versa caput primos mugiuerat annos,
Nunc Dea, quæ Nili flumina vacca bibit.
Inô etiam prima terris ætate vagata est:
Hanc miser implorat nauita Leucothoën.
Andromede monstris fuerat deuota marinis:
Hæc eadem Persei nobilis vxor erat.
Calisto Arcadios errauerat vrsa per agros:
Hæc nocturna suo sidere vela regit.

IO. POSTHII.

Gaudebat Triuiæ studijs, nemorumq́ue recessu
Parrhasis: imbelles figere docta feras:
Iuppiter in siluis hanc luxuriosa coëgit
Basia pugnantem, concubitusq́ue pati:
Fœmineos simulans habitus, cultusq́ue Dianæ:
Iuno potens vrsam quam facit inde feram.
Scilicet est vrsæ similis, plagasq́ue meretur:
Laude pudicitiæ si qua puella caret.

DE IVNONE.



FAVSTI SABAEI.

TEmpla vbi prospexit cumulata, & honoribus aras
Incendi Diuæ, quæ modo vacca fuit:
Dirigi & errantes nautas sub lumine ab Arcto:
Quæ modò per montes tam gemebunda fuit:
Hæc indigna videns Saturnia: prô dolor, inquit,
Quid mutasse illis membraq́;, & ora iuuat?
Immò vt ad incestum currant toto orbe puellæ:
Altera stella nitens, altera facta Dea est.

B. ANVLI.

En Dea sæua nimis fastu, cultúq́; superbo:
Quæ famulam pugnis imperiosa ferit.

Ad cuius prostrata pedes mutatur in vrsam
Virgo cui fuerat libera forma priùs.
Sæua magistrorum sic efferat vsq; tyrannis
Mores discipuli quamlibet ingenuos.

DE ARCTVRO.



P. OVIDII NASONIS.

VRsa per incultos errabat squalida montes:
Quæ fuerat summo nuper amata Ioui:
Iam tria lustra puer furto conceptus agebat,
Quum mater nato est obuia facta suo.
Illa quidem, tanquàm cognosceret, astitit amens:
Et gemuit: gemitus verba parentis erant.

Hanc

Hanc puer ignarus iaculo fixisset acuto:
Ni foret ad superas raptus vterq; domos.
Signa propinqua micant: prior est, quam dicimus Arcton:
Arctophylax formam terga sequentis habet.
Sæuit adhuc, canamq; rogat Saturnia Thetyn:
Mænaliam tactis ne lauet Arcton aquis.

P. MELISSI.

Vrsa polo gemina est: Helicen Archiua iuuentus
Ambit: Sidonijs sed Cynosura placet.
Hæ faciunt, quòd vtriq; vagi maria omnia circum
Errantes nequeant heu statione frui.
Vtraque ni placidis nantes adspectet ocellis:
Flebile naufragium ventus, & vnda cient.

FAVSTI SABAEI.

Fluctibus, Arcturi sub sidere pressus iniquo,
Iam maris, ante preces Idomeneus ait:
Ter fera & ob patrem, & morsum, caudamq; minacem,
Sæua inerat siluis, sæuior Vrsa polo est.

DE VENERE, ET PALLADE, ET DIANA.



FAVSTI SABAEI.

Pignora confiteor quod sunt mihi plura: Cupido,
Harmonia, Aeneas, Hermaphroditus, Eryx.
Quid manifesta negem? vos virginitatis honorem
Fertis: at expertes quid valuêre Dei:
Quidúe homines, nostis. si falsa, aut vana repono,
Testis Erichthonius, testis & Hippolytus.

B. ANVLI.

Pallada quod puduit: clausum inspexêre ministræ:
Quid fœminis est curiosius malis?

DE NE-

DE NEPTVNO ET CORONIDE.



IO. POSTHII.

PRopter aquas vidit, visamq; Coronida feruens
Neptunus sequitur: vimq; sequendo parat.
Liberat hanc Pallas, natis per brachia pennis:
Cornicemq; vocans, tu mea, dixit, eris.

FAVSTI SABAEI.

Sæuit adhuc, quamuis sit strata Coronis, Apollo:
Et miseræ occumbant pignora Tandalidos.
Quàm benè consultum est, iacula & quod fregerit arcum:
Si furit imbellis: quid facit arma gerens.

AND. NAVGERII.

Preßit Aminonen medijs Neptunus in aruis:
Dum premeret summum virginis vrna caput.

DE APOLLINE ET MOMO.



FAVSTI SABAEI.

QVum rigidæ blandus Daphnæ iactaret amator
Se Deus, atq; suas, certaq; tela, manus:
Sic est, Momus ait. testare cruenta, Coroni,
Tela: cruentatas tuq; Hyacinthe manus.

TIT. VESP. STROZAE.

Albus erat quondam, volucris Phœbeia, coruus:
Nunc importunæ præmia vocis habet.

Criminibus fictis infamem quisquis amantem
Reddit: sacrilegos inter habendus erit.

DE CHIRONE CENTAVRO.



P. OVIDII NASONIS.

PHillyrides puerum cithara perfecit Achillem:
Atq; animos placida contudit arte feros.
Qui toties socios, toties perterruit hostes:
Creditur annosum pertimuisse senem.
Quas Hector sensurus erat: poscente magistro,
Verberibus iussas præbuit ille manus.

FAVSTI SABAEI.

Sensit Achilleam vt cædem, magnumq; dolorem
Semiuir: esse & equam vidit vt Ocyrhoen:
Corde repercusso suspiria traxit: & inquit,
Pœna mihi esse Deum; dedecus esse patrem.

DE BATTO.



FAVSTI SABAEI.

VIr fueram mendax: nunc sum verissimus index:
Postquàm ex mortali transferor in lapidem.
Fraude fidem rupi: quum sese vlciscitur Hermes:
Et qui Battus eram, proditionis amans:
Do duplices pœnas, saxum lucriq;, doliq;:
Tùm quia sic petij: tùm quia sic merui.

EIVSDEM.

Battus, auaritiæ exemplar: vaccam, atq; iuuencam
Dum cupit: & vitam perdit, & effigiem.
Proditor hic fidei, & diuûm mutatur, auarum,
A Dijs dans pœnas, ex homine in lapidem.

IN MERCVRIVM.



IACOBI MICYLLI.

RHetor erat toto notus Cyllenius orbe:
Et cantu, & veteri clarus in arte lyræ.
Sed tamen hunc Chione captiuum traxit, & Herse:
Aemonio iacuit victus amore Deus.

FAVSTI SABAEI.

Quid meditans, positis virga, & talaribus, hastæ
Insistis, Maiæ desidiose puer?
Ire redire Orco, super æthera, ab æthere, ad Orcum,
Linquere, quod graue sit, seruitium meditor.
Quid facies Romæ? furari, & fallere noui:
Nec minus his prosunt, forma, iuuenta, decor.

DE PALLADE.



B. ANVLI.

QVid sibi vult, hasta quòd, cum virtute, vibrata
Inuidiæ reserat Diua Minerua fores?
Inuidia premitur virtus, sapientia Zelo,
Liuoriq; aperit gloria digna viam.

DE PALLADE ET MERCVRIO.



F. SABAEI.

DVm fidei templum extruitur: pars nocte cadebat:
Sollicita hinc causa Roma latente fuit:
Materiam euoluit, perquirit, pensitat augur:
Aglauri, & Batti deniq; saxa videt.
Vos adeò infidos non vult Dea: tollite, clamat,
Prodidit ista Deam; prodidit iste Deum.

DE IO-

DE IOVE ET EVROPA.



NICOLAI REVSNERI.

IVppiter Europam rapturus Agenore natam:
Phœnicum ſimulans fertur in arua bouem.
Gaudet amans pulcri forma bouis: haud mora, tergo
Inſidet: & Cretam per freta virgo petit.
Dum petit hanc, littus reſpectat ſæpe relictum:
Donec ſe prodit Iuppiter eſſe Deum.

F. SABAEI.

Quum timidam veheret fraterna per alta puellam,
Cornibus implicitam, ſub boue clauſus amans:

Oscula dat pedibus: retegit ceruice reflexa,
Atque hilari, impatiens candida crura Deus.
Dumque dolet raptum, & casum gemit anxia virgo:
Credibile hæc ipsum verba tulisse Deum:
Ne doleas mea vita, & amor, mea magna voluptas:
Cuius terga premis, sidera celsa timent.
Pone metum: ob patriam paruam ipsa vocabere mundi
Tertia pars: & eris dulcis amica Iouis.
Interea applicuit terræ: scis cætera, virgo:
Læta genus, socias exuit, & patriam.

EIVSDEM.

Aequè amor exitio tuus, ac mortalibus ira est:
Europa obiecit per mare vecta boue.
Pace tua, & dixit, perimis, Rex Maxime, adurens
Tàm Semelem aspectu, quàm Phaëthonta manu.

M. MARVLLI.

Lasciuum iratus pater obiurgabat Amorem:
Huic Amor: Europam quis, pater, orbis habet?

ANDREAE NAVGERII.

Sidonis errabat nitidos Europa per agros:
Quum medium ficto per mare vecta boue est.

DE AGE-

DE AGENORE.



FAVSTI SABAEI.

SIccíne Agenor ais? fili, toto orbe ſororem
Quære tuam: absque illa ne remeato domum.
Et pius ipſe pater monitu, & ſcelératus eodem:
Quærere erat pietas, non remeare ſcelus.

DE CAD.

F. SABAEI.

An petat Actæon siluas, sub imagine cerui,
An sua tecta: negant & metus, atque pudor.
Præda canum factus, gemitu se Actæona monstrans,
Dicere tentabat quid laceratis herum?
Tanti inerat vidisse nates? Si experta fuisses,
Non sic tractasses, impia virgo, virum.

ACT. SYNCERI SANNAZARII.

Viderat Idæo nudas in vertice diuas
Phryx Paris: & dixit, vincis vtranque Venus.
At si, Gargaphijs, quam nos malè vidimus, vndis,
Vidisset: poterat dicere, cede venus.

B. ANVLI.

Cornibus in ceruum mutatum Actæona sumptis,
Membratim proprij diripuëre canes.
Næ miser est dominus: parasitos quisquis edaces
Pascit: adulantum præda parata canum.
Se quibus irridendum suggerit, & comedendum:
Seruus & ex domino corniger efficitur.

DE SEMELE.



P. OVIDII NASONIS.

IVppiter igne suo lucos iaculatur, & arces:
Missaq; periuras tela ferire vetat:
Quæ meruêre pati. Semele miserabilis arsit:
Officio est illi pœna reperta suo.
At si venturo se subduxisset amanti:
Non pater in Baccho matris haberet onus.

FAVSTI SABAEI.

Quid petis imprudens, & tanti nescia voti
Fulmineum Semele cernere velle Iouem.
Mortales oculi hunc nequeunt tolerare nitorem:
Namq; Deo inspecto viuere nemo potest.

Et propria laudis nimium succensus amore,
Bellorum longas inserit Iliadas:
Seq; super superos inuicto robore iactat:
Et minùs horrifici tela timere Iouis.
Quotquot erant Diui siluêre. Superuenit heros
Lemnius: ob fastum non tulit impatiens:
Quid tu te iactas (ait) ô temerarie? vinctus
A sene, & à claudo nexibus indomitis?
Vinculaq; ostentans: hæc est tua gloria dixit:
Tunc Mars inspectis retibus erubuit.

EIVSDEM.

Mulciber insanis: retegis dum furta maritæ:
Mœchari iam homines, cœlicolasq; doces.
Pro Mauorte vno, multos nanciscier optas:
An credis natæ parcere posse Iouem?
Nam sub rete iocos faciunt, & dulcia bella:
Nec cessant visi conseruisse manus.
Flagrat odoratis namq; vndiq; Cypria membris:
Ipse verecundus pingit & ora pudor.
Aurea tota nitet: preciosa, & gemmea tota est:
Et vernat violis, purpureisq; rosis.
Quid faber insanis? quem vult, capit, allicit, vrit:
Secum habet alma Venus retia, vincla, dolos.
Quòd si sola nequit, matrem iuuat vsq; Cupido:
Arcum, tela, faces commodat, & pharetram.

ACT. SYNCERI SANNAZARII.

Horrida cælicolis narrabat prælia Mauors:
Sæuaq; terribili capta trophæa manu:

Quod Venus audiret, doluit Vulcanus: &, heus tu,
Inquit, an expectas, vt mea vincla canat?

EIVSDEM.

Dum Venus armatum complectitur obula Martem:
Distrinxit teneram fibula adunca manum.
Sensit & ante Iouem, ridens, ait æmula Pallas:
Bella iterum gessit cum Diomede soror.

EIVSDEM.

Incultam aspiciens siluis Cytherea Dianam:
Risit, & an tendes retia semper? ait.
Cui Dea casta: feris cur non ego retia tendam?
Tendere si potuit vir tuus illa tibi.

DE CLYTIE ET LEVCOTHOE.



FAVSTI SABAEI.

Planta hæc virgo fuit Clytiæ: quæ se, atq; sororem
Perdidit: & Solem prodidit ore suo:
Pectore quem toto exarsit: sed liuor adegit
Perdere se, & soli prodere Leucothoen.
Ardet adhuc, miratur adhuc, sequiturq; fugacem:
Solis & aspectu mortua viuit adhuc.

EIVSDEM.

Crescere odorato luctu, quam & morte videtis
Surgere Leucothoë pulcra puella fui.
Solis amans; Clytie soror at me prodidit, & me
Orchamus (heu) viuam contumulauit humo:

Et quæ non potui pro me placare parentem:
Pro multis rogo nunc, concilioq; Deos.

BASILII ZANCHI.

Aureus è roseo quoties sese æquore tollit
Phœbus: & Eois cuncta colorat equis:
Te Clytie stupet in terris pulcerrima Solem
Lucere: & subitus deijcit ora pudor.
Mox tamen insano Solis Sol captus amore
Ardet: & insolito lumine flamma viget.
Te spectat: radios te te vna in virgine figit:
Sentit & è radijs iam noua lucra tuis.
Indignans, pallensq; atro sese æquore condit:
Tantus in occulto tangit amore dolor.

STEPHANI FORCATVLI.

Flos Clytiæ solem sequitur, fixusq; tuetur:
Qui fuit in nymphæ flore perennat amor.

IN LIBANVM PVERVM.

FAVSTI SABAEI.

HAec Libanus, Syrijs quæ surgit montibus arbor,
Gratus erat superis relligione puer:
Assiduus cultu templis qui stabat, & aris:
Impij ob inuidiam dilaniare parant.
Terra in honore Deûm, in plantam mutauit: & illa
Plus auro Diuis facta corona placet.

Ne indignare puer fato: nam cæde bearis:
Semper amande Dijs, & venerande viris.

DE CROCO ET SMILACE.

FAVSTI SABAEI.

FOrmosi iuuenes, sed iniquo sidere nati:
Hic Crocus, hac Smilax, dignus vterq; Ioue.
Nam pro Hebe Smilax poterat seruire Tonanti:
Et Phrygio poterat pro Ganymede Crocus.
Qui legitis flores, horum cognoscite & ignes:
Tàm flagrabat amor, quàm modò fragrat odor.

DE NYCTIMENE.



NICOLAI REVSNERI.

SVpposuit lasciua femur quòd turpe parenti
Nyctimene: lucem, noctua facta, fugit.

Conscia sic culpæ, celat miseranda pudorem:
Et latet in tenebris, fletq́; gemitq́; nigris.
Quam fugiunt & aues, & pellunt æthere toto:
Nec reperit tutum pulsa repulsa locum.

DE HERMAPHRODITO.



D. AVSONII MAGNI.

MErcurio genitore satus, genitrice Cythere:
Nominis vt mixti, sic corporis Hermaphroditus
Concretus: sexu sed non perfectus vtroq;:
Ambiguæ Veneris: neutro potiundus amori.

EIVSDEM.

Salmacis optatos concreta est nympha marito:
Felix virgo, sibi si scit inesse virum.

Et tu formosæ iuuenis permixte puellæ
Bis felix: vnum si licet esse duos.

FAVSTI SABAEI.

Nos duo iam fuimus, quos corpore cernis in vno,
Formosi iuuenes: nympha ego, & iste puer.
Saucia, amansq; fui: nec amans, nec saucius ille:
Et quàm blanda fui, tàm mihi durus erat.
Aggredior, capio, teneo: dum se abluit vnda hac,
Luctatur, pugnat, iam fugiturus erat.
Vota, precesq; Ioui dederam: nos vinxit in vnum,
Vt capiam, & teneam, quem capio, & teneo.

EIVSDEM.

De Hercule, & fonte Salmacide.

Legerat hunc titulum Alcides in margine fontis:
Vir procul esto: meis ne variere vadis.
Intrat aquas claua armatus, spolioq; leonis:
Vt nimium audaces experiatur aquas.
Rettulit inde colum, atq; stolam: & qui Tartara, & orbem
Vicerat, à molli virgine victus abit.

NICOLAI REVSNERI.

Salmacidis qui fonte lauat vir, semiuir exit:
Mollescit tactis illicò corpus aquis.

B. ANVLI.

Vallis in obscuræ sinus est vmbrosus opaco:
Turbidulis fluit hic fons lutulentus aquis:

Quo qui fonte lauat, calidum restinguat vt æstum:
Quique paludoso mergitur in latice.
Antea si vir erat benè masculus: exilit inde
Ambiguo sexu semiuir Androgynos.
Talem Salmacidis fontem finxêre poëtæ
Hermaphroditus vbi, fœmina, virq́; fuit.

IN MINEIDES.




NICOLAI REVSNERI.

DVm cultus superûm spernunt, festumq́; profanant:
Et leuibus fallunt tempus, opusq́; iocis:
Protinus in volucres abeunt Mineides has, quæ
A sero verum vespere nomen habent.
Iamq́; petunt tenebras, & Solis lumina vitant:
Tecta celebrantes fumida, nocte volant.

IN-

IN FVRIAS.



NICOLAI REVSNERI.

Nocte sata Stygia, furiæ tres: dira Megæra,
Tristis & Alecto, Tisiphoneq́ furens:
Sunt speculatrices scelerum, vltricesq́ malorum:
Quod suadent, mulctant protinus omne nefas:
Inspirantq́ graues animos, rabiemq́, metumq́:
Menti, non membris, vulnera dira ferunt.
Scilicet hæ colubræ sunt, hæc flagella, facesq́:
Mens hominis requie cùm nequit ægra frui.

P. OVIDII NASONIS.

Tres sunt Eumenides: scindit latus vna flagello:
Vt sceleris numeros confiteatur homo.

Altera Tartareis dat sectos anguibus artus:
Tertia fumantes incoquit igne genas.

DE POENIS INFERORVM.

ALB. TIBVLLI.

QVà scelerata iacet sedes, in nocte profunda
Abdita: quam circum flumina nigra sonant:
Tisiphoneq; impexa feros pro crinibus angues
Sæuit: & huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in turba serpentum Cerberus ore
Stridet, & æratas excubat ante fores.
Illic Iunonem tentare Ixionis ausi,
Versantur celeri noxia membra rota:
Porrectusq; nouem Tityus per iugera terræ:
Assiduas atro viscere pascit aues.
Tantalus est illîc, & circum stagna, sed acrem
Iam iam poturi deserit vnda sitim.
Et Danai proles, Veneris quòd numina læsit:
In caua Lethæas dolia portat aquas.

P. OVIDII NASONIS.

Quà loca ab Elysijs campis diuersa patescunt:
Scilicet hic sedes noxia turba tenet.
Sisyphus & illîc saxum voluensq;, petensq;:
Quiq; agitur rapida vinctus ab igne rota:
Quæq; gerunt humeris perituras Belides vndas:
Exulis Aegypti, turba cruenta, nurus.
Poma pater Pelopis præsentia quærit: & idem
Semper eget liquidis, semper abundat aquis.

Iugeri-

Iugeribusq́ nouem summus qui distat ab imo:
Visceraq́ aßiduè debita præbet aui.

DE IXIONE.

B. ANVLI.

COnscius offensarum, animusq́ sui ipsius vltor,
Viuit in inuita vita, quum viuere nolit,
Cumq́ mori exoptet, sua mortis vulnera sentit,
Nec tamen emoritur; sed fert sua tormina secum:
Carnificemq́ sui quum se ipsum sentiat: à se
Vellet abesse quidem: sed adest, ac vsq́ rotatur,
Vt miser Ixion: & se sequiturq́, fugitq́.

DE TITYO.



AGALMATA P. OVIDII NASONIS.

Heu quantus dolor est, inuita viuere vita:
Velle mori toties, sed neq; posse mori.
Sic inconsumptum Tityi, semperq; renascens
Non perit, vt posit sæpe perire, iecur.
Felicem Nioben quamuis tot funera vidit:
Quæ posuit sensum saxea facta mali.
Vos quoq; felices quarum clamantia fratres
Cortice velauit populus ora nouo.
Cui mortis pœnas mors hic non altera finit
Infelix: semper maxima pœna mori.

PETRONII ARBITRI.

Cui vultur iecur vltimum pererrat:
Et pectus trahit, intimasq; fibras:
Non est, quem tepidi vocant poetæ:
Sed cordis mala, liuor, atq; luxus.

Q. HORTII FLACCI.

Optat quietem Pelopis infidus pater,
Egens benignæ Tantalus semper dapis.
Optat Prometheus obligatus aliti:
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum: sed vetant leges Iouis:
Ingrata misero vita ducenda est in hoc,
Nouis vt vsq; suppetas doloribus.

DE SALMONEO.

B. ANVLI.

ASpice crudeles dantem Salmonea pœnas
Altitono (est ausus quem simulare) Ioui.

Demens

Demens qui nimbos, & non imitabile fulmen,
Aeris ponte, citis est imitatus equis.
Verum igitur fulmen (voluit quod frangere) sensit:
Dixit & hac moriens, dicere vel voluit:
Parcite mortales imitari velle tonando
Immortale Deûm numen, & imperium.
Parcite velle sequi & dicta, & facta potentum:
Quod minitamur enim, iudicio patimur.

DE SISYPHO.

T. LVCRETII.

SIsyphus in vita mortalibus ante oculos est:
Qui petere à populo fasces, sæuasq; secures
Imbibit: & semper victus, tristisq; recedit.
Nam petere imperium, quod inane est, nec datur vnquàm,
Atq; in eo semper durum sufferre laborem:
Hoc est aduerso nixantem trudere monte
Saxum: quod tandem summo iam vertice rursum
Voluitur: & plani raptim petit æquora campi.
Deinde animi ingratam naturam pascere semper,
Atq; explere bonis rebus, satiareq; nunquam:
Quod faciunt nobis annorum tempora, circum
Quum redeunt, fœtusq; ferunt, variosq; lepores:
Nec tamen explemur vitai fructibus vnquam,
Hoc (vt opinor) id est, æuo florente puellas
Quod memorant laticem, pertusum congerere in vas:
Quod tamen expleri nulla ratione potestur.

IN BELIDAS.

B. ANVLI.

IN coitu occidit proprios de nocte maritos;
Natarum Danai perfida progemes.
Crimen ob hoc, haurit pertusis flumina vasis:
Quæ nunquam expleri, quòd fluat vnda, queunt:
Pertusum meretrix vas est, rimisq; fat hiscens:
Perfluit hàc illàc: continet ergo nihil.

Q. HORATII FLACCI.

Audiat Lyde scelus, atq; notas
Virginum pœnas; & mane lympha
Dolium fundo pereuntis imo,
Seraq; fata.
Quæ manent culpas etiam sub Orco
Impiæ; nam quid potuêre maius?
Impiæ sponsos potuêre duro
Perdere ferro.
Vna de multis face nuptiali
Digna periurum fuit in parentem
Splendidè mendax, & in omne virgo
Nobilis æuum.
Surge, quæ dixit iuueni marito:
Surge: ne longus tibi somnus, vnde
Non times, detur: socerum, & scelestas
Falle sorores:
Quæ velut nactæ vitulos leænæ
Singulos eheu lacerant. ego illis
Mollior, nec te feriam, nec intra
Claustra tenebo.

Me pater sæuis oneret catenis;
Quòd viro clemens misero peperci:
Ne vel extremos Numidarum in agros
Classe releget.
I, pedes quò te rapiunt, & auræ
Dum fauet nox, & Venus: i secundo
Omine, & nostro memorem sepulchro
Sculpe querelam.

P. OVIDII NASONIS.

Exul Hypermnestra precium pietatis iniquum,
Quam fratri mortem depulit, ipsa tulit.

DE TANTALO.

P. OVIDII NASONIS.

QVærit aquas in aquis, & pœna fugacia captat
Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.

P. MELISSI.

Tantalus Eridiani meritas religatus ad vndas:
Poma manu frustra captat, & ore lacum.

PETRONII ARBITRI.

Nec bibit inter aquas, nec poma fugacia captat
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.
Diuitis hæc magni facies erit: omnia latè
Qui tenet: & sicco concoquit ore famem.

CORNELII GALLI.

Quid mihi diuitiæ? quarum si dempseris vsum,
Quamuis largus opum, semper egenus ero.

Immò

Immò etiam pœna est, partis incumbere rebus:
Quas, cum poßideas, est violare nefas.
Non aliter sitiens vicinas Tantalus vndas
Captat: & appositis abstinet ora cibis.

B. ANVLI.

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina: & esuriens carpere poma nequit.
Fructus plena, labris nam quæ imminet, effugit arbos:
Et refugit mento quæ fluit vnda tenus.
Sic miser in liquidis sitibundus Tantalus vndis,
Frugibus in medijs, esurit, atq; sitit.
Nomine mutato de te narratur auare
Fabula: qui multas pauper es inter opes:
Quas non attingis: nec scis, quem præbeat vsum
Nummus: at in censu diuite viuis inops.

ἄδηλον.

Damnatus refluis vt viuit Tantalus vndis:
Dum nequit ambigua carpere fronde cibum.
In rebus diues sic multis viuit auarus:
Non habet id, quod habet, nec quod habere cupit.
Cùm primùm crescit nummi furiosa cupido:
Inter opes positus, diues auarus eget.

DE ATHAMANTE.



P. OVIDII NASONIS.

ARſerat obſequio Semele Iouis: accipit Inô
Te puer: & ſumma ſedulà nutrit ope.
Intumuit Iuno: raptum quò pellice natum
Educet: at ſanguis ille ſororis erat.
Hinc igitur furijs Athamas ſub imagine falſa:
Tuq; cadis patria parue Learche manu.
Mœſta Learcheas mater tumulauerat vmbras:
Et dederat miſeris omnia iuſta rogis.
Hæc quoq; funeſtos vt erat laniata capillos,
Proſilit: & cunis te Melicerta rapit.

Eſt ſpatio contracta breui: freta bina repellit:
Vnaq́; pulſatur terra duobus aquis:
Huc venit inſanis natum complexa lacertis:
Et ſecum è ſummo mittit in alta iugo.
Excipit illæſos Panope, centumq́; ſorores:
Et placido lapſu per ſua regna ferunt.

IO. POSTHII.

Vt ſatiet Iuno memorem implacabilis iram:
Atria nigrantis triſtia Ditis adit:
Et furias, Athamanta velint vt perdere regem,
Cum thalami ſocia, progenieq́;, rogat.
Mox, face Tartarea, dirisq́; tremenda colubris,
Tiſiphone peragit iuſſa potentis heræ.
Reginamq́; ſuis, regemq́; Athamanta venenis
Inficit: ad Stygios & redit inde lacus.
Mente carens Athamas natu minimum enecat: Ino
In mare de ſcopulis cum ſeniore ruit.
Dum famulæ regni fatum miſerabile deflent:
Pars lapides fiunt: pars imitantur aues.

DE IVNONE.



F. SABAEI.

TAntæ insunt tantæne animis cœlestibus iræ?
Vt cogant patrias conscelerare manus
Sanguine natorum? porgebat blanda Learchus
Brachia, ab immani dilacerata fera:
Patre, fera immani: risit crudele theatrum
Iuno: quod sæua congemuère feræ.
Sanguine stillabant muri, postesq́ue cerebro:
Nec patris, atq́ue Deæ est exsaturata sitis.
Immersam Melicertam æquor, seruatq́ue parentem:
Patre ipso, atq́ue Dea mitius æquor erat.

DE VENERE.



P. OVIDII NASONIS.

SI venerem Cous nunquam pinxiſſet Apelles:
Merſa ſub æquoreis illa lateret aquis.

F. SABAEI.

Aura ſerenato ſpirabat ab aëre dulcis:
Ridebat vultu ſplendidiore dies:
Inſtrepuere cauis Tritones ab æquore conchis:
Ludebant hilares Nereidumq́ chori:
Ecce capiſtratos inter Delphinas amicis
Fluctibus, inuehitur nequitioſa Venus.
Quam volitant circum, teneriq́ iocantur Amores:
Sirenes ſolito dulcius ore canunt.
Viſitat orta mari prima incunabula Cypris:
Hinc Dea cognatis ſic ſpatiatur aquis.

EIVSDEM.

Quid mihi cum terra? terra est mihi nulla potestas:
Orta mari cum sim, iura ministro mari.

CAEL. CALCAGNINI.

Qui te emergentem primus de gurgite vidit:
(Vnde tibi factum nomen) amica Venus:
Credibile est illi primùm ludosq́; iocosq́;,
Gaudiaq́; in tacito subluisse sinu.
Illi terra rosas, & cinnama protulit, illi
Corycio crines immaduère croco.
Tu Dea, tu cœlum radijs melioribus afflas
Largiùs: & vegetas nutu elementa tuo.
Tu primos volucres intus per frondea Tempe:
Deliciasq́; suas bucera sola dabant.
Te circum Triton; te circum immania Cete:
Scilicet impulsu numinis acta tui.
Te sine facundi torperet machina mundi:
Nec posset solitas continuare vices.
Tu Dea materiam rebus, tu semina largè
Diuitiasq́; tuas suppeditare soles.
Tu Dea prolificos incendis in ossibus ignes:
Et stimulas blanda pectora nostra face.
Nec mirum est: tu nata mari, tibi fertilis humor,
Quippe suas profert officiosus opes.
Hoc mirum, quæ causa in aquis tot suscitet ignes:
Atq́; tot vnde tibi suggerat vnda faces.

STEPHANI FORCATVLI.

Emersam ex vndis Venerem cur pingis Apelles?
Spumifero natam tu mage pinge mero.

EIVSDEM.

Quàm scitè genitam dixerunt Cyprida ponto
Antiqui: fluctus sunt vtriusq; graues.

P. MELISSI.

Aethere ceu Iuno: pelago Venus: igne Cupido;
Sic Iouis è cerebro nata Minerua Dea est.

DE CADMO ET HERMIONE.

IO. POSTHII.

Cadmus vt Illyricos socia cum coniuge fines
Attigit: est pariter factus vterq; Draco.
Scilicet exuti regno, latuêre, draconum
Instar: & ignotas incoluêre domos.

IACO-

IACOBI MICYLLI.

Cadmus Agenorides Thebas cùm conderet altas:
Atq; domum sponsam duceret Harmoniam:
Tùnc venisse ferunt hæc ad connubia Diuos:
Et sua coniugibus dona dedisse nouis
Quos inter docta carmen cecinére sorores:
Virtuti summum quo tribuére decus.
Quod pulchrum est, carum est, dicentes: & quod honestum,
Diligitur: turpis gratia nulla rei.

DE IOVE ET DANAE.



P. OVIDII NASONIS.

SI nunquam Danäen habuisset ahenea turris:
Non esset Danäe de Ioue facta parens.

EIVSDEM.

Adfuit Acrisio seruanda cura puellæ:
Hunc tamen illa suo crimine fecit auum.

EIVSDEM.

In thalamo Danäe saxo, ferroq́; perenni
Quæ fuerat virgo credita, mater erat,

F. SABAEI.

Viderat inclusam seruata turre puellam:
Virginis, atq; loci captus amore Deus:
Ferrea claustra aperit: Danaënq́; expugnat, & implet:
Non armis pugnans, viribus, atq; minis:
Sed victore auro. Quid enim expugnantius a ro?
Nam ferrum & reges edomat, atq; Deos.

ACT. SYNCERI SANNAZARII.

Formosam Danaen munibat ahenēa turris:
Et satis hoc Vanus credidit esse pater.
Indoluit, teneræ miseratus fata puellæ
Iuppiter: & subitò factus amator, ait:
Ergo arcere potes natam diuisq́;, virisq́;:
At si non arces imbribus, imber ero.

Q. HORATII FLACCI.

Inclusam Danaën turris ahenea,
Robustæq́; fores, & Vigium canum
Tristes excubiæ, munierant satis
Nocturnis ab adulteris:
Si non Acrisium virginis abditæ
Custodem pauidum Iuppiter, & Venus
Risissent: fore enim tutum iter, & patens
Conuerso in precium Deo.
Aurum per medios ire satellites,

Et

Et perrumpere amat ſaxa, potentiùs
Ictu fulmineo. concidit auguris
Argiui domus ob lucrum
Demerſa excidio: diffidit vrbium
Portas vir Macedo, & ſubruit æmulos
Reges muneribus: munera nauium
Sæuos illaqueant duces.

DE ATLANTE.



IO. POSTHII.

ALite vectus equo Perſeus, ab Atlante per vnam
Hoſpitium noctem, Sole cadende petit:
Rex negat: huic Perſeus oſtendit vt ora Meduſæ:
Mons fit: & antiquum nunc quoq; nomen habet.

DE MEDVSA.

P. LOTICHII SECVNDI.

ADmonitrix operum tenebris Aurora fugatis,
Vecta Medusæo præpete mane rubet.
Hunc prior alati pedis ictibus edidit ætas
Fontis equum Venas elicuisse noui:
Virgineas Helicon lauros vbi, præmia Vatum,
Educat: Aonius templaq́; cœtus habet.
Pandite Pegasides: cur huius origo liquoris
Dicitur Auroræ Pegasus ales equus?
Tempus (ait Clio) matris sub Memnonis ortum,
Aonijs gratum vatibus esse solet.
Tunc vigor intus agit maior: tunc pectora cœlo,
Ingenijs prima luce fauente calent.
Inde fluunt sacri latices: studioq́; perennes
Fons matutino fundit apertus aquas.
Cur tamen acer equus radiantibus additus astris,
Et quæ fodit aquas vngula clara micat?
Conspicui fulgent (inquit Dea) sideris instar:
Ingeniosa mori quos monumenta vetant.

DE ANDROMEDA.



IO. STIGELII.

A Scopulo pendet monstris obiecta marinis
Andromede: insidijs sæua nouerca tuis.
Huic variè illudunt horrendis monstra figuris:
Obijcit anguineum sæua Medusa caput.
Nec misera effugium, nec spem videt ægra salutis:
Vincta manus, clamat sidera, vincta pedes.
Aligeris donec Ioue natum Persea plantis
Induit Atlantis, munit & ense, nepos.
Ille Medusæo tingens in sanguine dextram:
Conijcit in celerem turpia monstra fugam.
Liberat Andromedam, desponsamq́ accipit heros:
Sanctaq́ coniugij iungit vtrunq́ fides.

AGALMATA

FAVSTI SABAEI.

Andromeda infelix, duris religata cathenis,
Stabat: imago velut saxea, sola, silens.
Membra, Cupidineis quæ formosissima nodis
Euincenda forent, ferrea vincla ferunt.
Hæc lacrymarum amni submersa puella natabat:
Vera videbatur altera iam Niobe:
Clauserat ora timor mortis miseranda propinque:
Tam pulcra, à turpi dilaceranda fera:
Sed iustæ vicêre preces: Danëius heros
Virgine pro casta victor in arma ruit.

DE MEDVSA.



FAV-

FAVSTI SABAEI.

QVid fers ægra tuum, quamuis sis funus acerbum?
Quo inuidiosa magis Parca, dolenda minus.
Bellica præstanti muniuerat ægide Pallas:
Atq; harpe, & pennis Persea Mercurius:
Quid poteras contra fraudem, & tria numina contra?
Virgo, Deam, vna, Deum, Semideumq́; virum?

EIVSDEM.

Virgo tuis spectanda olim, & metuenda capillis:
Ne graue sit duram te subijsse necem.
Namq; tuo est ortus de funere Pegasus: ob quem
Ebibit Aonidas sexus vterq; deas.
Et deserta manet Libye, te vindice: & hostis
Diua tuum caput in pectore robur habet.
Officiosa nece es, nam castam Pallada honoras:
Et seruas, qui te perdidit ense, virum.

DE PERSEO.



NICOLAI REVSNERI.

DVm mouet iniustum Phineus in Persea bellum:
Multaq́ fert miles vulnera, multa facit:
Gorgone cum socijs visa stupet ilicò: tandem
Fit lapis immotus sic, rigidusq́ silex.
Palladis armatus clypeo, cui nobilis heros,
Mercurij Perseus amputat ense caput.

B. ANVLI.

Perseus saxifica caput exitiale Medusæ,
Victor periculi, gerit;
Aegide Palladia armatus, clypeoq́ corusco,
Acuta & harpe Mercurij;

Vertice

Vertice pennato, geminis talaribus: auras
Carpens, volat mirabilis:
Despicit ac infra se homines in saxa rigentes:
Fusis humi serpentibus.
Anne hoc est? Quum absoluit opus sapientia pulcrum
Acumine Eloquentiæ:
Euehit altè (adeò genus vt mortale stupescat)
Labore parta gloria.

EIVSDEM.

Indita Bellonæ Sapientia, & arma Mineruæ,
Gorgonis os clypeo quæ gerit anguicomum:
Transformat monstro hoc homines in saxa rigentes:
Cernere tale oculis qui voluêre caput.
Litteræ, & arma (quibus Sapientia, palmaq́; victrix
Quæritur) hæc duo sunt nempe sub orbe bona.
Quorum homines rapit admiratio tanta: stupore
Perculsos vt eos saxa quis esse putet.

DE

DE PALLADE ET VENERE.



HIERONYMI VVOLFII.

Aonidum melos, & diuinæ gratia vocis
Detinet aligerum Bellerophontis equum.
Nunc iuuenes harum præcludunt vocibus aures:
Non pudor est vobis mitius esse pecus?

NICOLAI REVSNERI.

Dum tenet anguicomæ sopor altus membra Medusæ:
Callidus huic Perseus eripit ense caput.
Aliger exoritur de sanguine Pegasus: vnco
Bellerophontæas qui pede fodit aquas.

Daunia vastabat cùm barbarus arua Pyreneus:
Captaq; Threicio milite Phocis erat.

IO. POSTHII.

Hospitio Musas recipit, mensaq; Pyreneus,
Inq; sua clausas vult retinere domo.
Hæ sumptis fugiunt alis: cadit ille, peritq;:
Sic pereat Musis quisquis obesse cupit.

NICOLAI REVSNERI.

Threicius Musas inuitat sponte Pyreneus,
Parnaßi quando splendida tecta petunt:
Fallaciq; Deas vultu colit hospes, vt hostis:
Dum parat his damnum, vimq; tyrannus atrox.
Continuò sumptis cœtus sacer effugit alis:
Sublimis tectis hic cadit, atq; perit.
Sic pereat Musas quisquis crudeliter odit:
Et cane qui doctos peius, & angue fugit.

DE CVPIDINE ET PLV-TONE.



F. SABAEI.

PArue puer Veneris, quàm lata potentia, & ingens
Est tua: quàm celeri corripis arma manu.
Fulmen ab iratis manibus Iouis eripis ardens:
Sceptra tridentiferi, telaq; adunca Dei.
Tu potes infernæ sedis placare tyrannum:
Vltricesq; Deas reddere perplacidas.
Detrahis Herculea dextra clauamq; trinodem,
Et superas solus quicquid vbiq; ferum est:
Arma inuicta domas: cur Delia, teq; Minerua
Retibus vna suis, altera terret acu?

IO. AVGERIANI.

Omne olim cœlum (vt fertur) cœlum omne ruebat:
Inter se superi dum fera bella gerunt.
Fortis erat Bromius thyrso: Mars ense; tridente
Neptunus: fortis fulmine dextra Iouis.
At cùm visus Amor fuit in fulgentibus armis:
Et iam succensa lampade pulcra Venus:
Priuatur thyrso Bromius, Mars ense, tridente
Neptunus: fortis fulmine dextra Iouis.

DE CYANE ET PLVTONE.



FAVSTI SABAEI.

CLamabam Cyane Cyane, dimitte tyrannum
Infernum: heu nescis, quid feritatis habet.

Parcere qui nescit, poterit tibi parcere prædo?
Armatam extollit, prospice virgo, manum.
Concidit, illato de vulnere prosilit vnda:
Quæ casum dominæ murmure luget adhuc.

AND. NAVGERII.

Si versa est Daphne: Sicula Proserpina ab Aetna:
Si vecta est Stygijs in noua regna rotis:
Quid mirum facile est deceptas fraude puellas
Fallere: nullius quas tueatur amor.

DE CERERE.



IO. POSTHII.

ORbe Ceres toto quærens mæstißima natam:
Arenti immensam colligit ore sitim:

Eq́; casa potum sumit: ridetq́; bibentem
Dum puer: is factus Stellio, serpit humi.

P. OVIDII NASONIS.

Persephonen natam, raptam sub vallibus Ennæ,
Dum toto quærit tristis in orbe Ceres:
Questa diu secum, sic est affata Tonantem:
(Maximaq́; in vultu signa doloris erant)
Si memor es de quo mihi sit Proserpina nata:
Dimidium curæ debet habere tuæ.
Orbe pererrato, sola est iniuria facti
Cognita: commissi præmia raptor habet.
At neq́; Persephone digna est prædone marito:
Nec gener hoc nobis more parandus erit.
Quid grauius victore Gyge, captiua tulissem?
Quàm nunc te cœli sceptra tenente tuli?
Iuppiter hanc lenit, factumq́; excusat amore:
Nec gener est nobis ille pudendus, ait.
Non ego nobilior: prisca est mihi regio cœlo:
Possidet alter aquas: alter inane Chaos.

DE ARETHVSA ET AL-PHEO.



FAVSTI SABAEI.

DVm te Arethusa suis ludentem cernit in vndis:
Vim parat Alpheus, captus amore tui.
Corpore formosa, & virgo tunc nuda fuisti:
Nil mirum in gelidis si Deus ardet aquis.
Territa sed refugis: demum sudore liquescens,
Teq; & amatorem perdis inepta tuum.
Nam ruit in fontem dum te videt esse solutam:
Post fata amplexus, heu miser, optat adhuc.
Sed miseratus Amor nodo sic vinxit vtrunq;:
Sitis vt ambo vnum corpus, & vmbra simul.

EIVSDEM.

Ecce Alpheus amans, & amata Arethusa, ab eôdem:
Hæc aqua fœminea est: mascula & altera aqua.
Inter se pugnant: variisq; amplexibus hærent:
Et, licet in gelidis, incaluêre vadis.

DE ASCALAPHO.

FAVSTI SABAEI.

INgemit in summis ferali carmine tectis:
Ex Acheronte satus sub Phlegethonte lacu.
Natus Auernalis nymphæ: dire, improbe bubo,
Nil nisi triste gemis, nil nisi triste canis.
Nil mirum, Ascalaphe, infestas si nostra: sub vmbris
Cùm quid non posset prodere, prodis herum.

DE MYRTILO.

FAVSTI SABAEI.

REctè mersus aquis fueras, ô Myrtile: poscens
Concubitum dominæ, proditione tua.
Exagitate mari, & ventis, & littore discas,
Prodere quid sit herum, tangere velle & heram.

DE TRIPTOLEMO.



IO. POSTHII.

TRiptolemus vehitur Cereris per inania curru:
Semina docturus credere iacta solo.
Lyncus at hunc hospes, capientem nocte quietem,
Dum iugulare parat, lynx citò factus abit.
Aut homini Deus est homo, si bonus: aut lupus hercle,
Si malus: ô quantum est esse hominem, atq; Deum.

DE NIOBE.



FAVSTI SABAEI.

IPsa ego peccaui, non pignora, Tantalis inquit:
Figite me: nati nil meruêre mei.
Quolibet in nato moriatur vt ipsa perempto;
Viuit: & ad luctum mortua, non moritur.

EIVSDEM.

Non opus inferijs, nec opus mihi fletibus vllis:
Construitis frustra quid monumenta mihi?
Consulit impensæ: & noster dolor imbribus atris:
Sum mihimet lacrymæ, sum mihimet tumulus.

EIVS-

EIVSDEM.

Intus habet nullum, quam prospicis, vrna cadauer?
Immò cadauer inest, non vacua vrna, meum.
Quin ego nec sum istud, minus illud; at istud, & illud:
Namq; vbi facta fui saxea, vtrunq; fui.

ANGELI POLITIANI.

Hoc est sepulcrum, intus cadauer non habens:
Hoc est cadauer, & sepulcrum non habens:
Sed est idem cadauer, & idem sepulcrum.

CAEL. CALCAGNINI.

Hac Niobe non iam Niobe, sed flebile saxum;
Sic Nemesis iussit, sic grauis ira Deûm.
Te lapis hortatur, fletus vt fletibus addas:
Ni facias, hospes, duriores lapide.

BAPTISTAE GYRALDI.

Este procul læti, cernant mea funera tristes:
Non similis toto mœror in orbe fuit.
Bis septem natos peperi: bis pignora septem,
(Me miseram) Diuûm sustulit ira mihi.
Dirigui demum lacrymis, & marmora manant:
Sic mihi mors dolor est, sic mihi vita dolor.
Discite mortales, quid sit turgescere fastu:
Et quid sit magnos post habuisse Deos.

DE TANTALO ET NIOBE.

Quisnam est qui hoc saxum ruiturum in tempora iam iam
Horret? & hac qua nam saxea imago gemens?

Proditor iste Deûm, contemptrix ista Dearum;
Tantalus est Phrygius: Tantalis est Niobe.
Peccarunt ambo lingua: plectuntur & ambo:
Ad lapidem genitor, filia & in lapide.

DE MARSYA.



IO. POSTHII.

Marsya quid demens Phœbum superare canendo
Tentasti: misero iam cutis abstrahitur:
Exemploq; mones: ne quis temerarius vltrò
Præstantes humili prouocet ore viros.

NICOLAI REVSNERI.

Marsya dum propria non vis in pelle quiesse:
Phœbeis digitis excoriatus obis.

De Marsya, & patre.

Nati amnem ex luctu cernens, pellemq; cruentam
Tibia non tanti, dixit Hiagnis, erat.
Filius ipse tamen viues sine pelle decorus
Marsya: nam nitido Marsya in amne nites.

DE ARACHNE.

F. SABAEI.

CVm superis non est tutum contendere, Arachne:
Pone elata animos, Lyda puella, tuos.
Pœna recens Satyri te terreat: ilice abalta
Marsyæ adhuc pendens sanguinolenta cutis.
Pulcra, aurum intexens, ne turpis aranea fias:
Quæ sua contexit viscera, & ore vomit.

EIVSDEM.

Aëre quid casses suspendis aranea pendens:
Laniuomo ore trahens sedula litis opus?
Musca repercussis applaudit dulciter alis:
Ipsa, vt eras, etiam pulcra puella fuit:
Nunc præda ecce gemit, mutata ab virgine virgo,
Nam similes casus conciliare solent.

EIVSDEM.

Quid lauro sacra suspendis aranea casses?
Visceraq; in tenues euomis insidias?
Arte licet mira texis subtegmina in orbem:
Lanigera cælans fertilitate dolos:

In vanum manicas nectis, pedicasq; puellæ:
Quæ Phœbum effugit, stulta tenere putas.

DE NEPTVNO ET MINERVA.



FAVSTI SABAEI.

Commoda quid pacis, quid belli incommoda præstent;
Lis inter superos denotat orta Deos.
Nomine Athenarum Diui sedere corona;
Emicat hæc hasta, fuscina at iste graui.
Virgo tridentiferum vicit Tritonia regem:
Namq; oleam hæc fudit cuspide: at alter equum.

DE ANTIGONE.



FAVSTI SABAEI.

QVæ patrem, & matrem implumes, pietatis amore
Educat, atq; fouet, pulcra puella fuit:
Sed fatua: ausa Iouis semet præferre maritæ:
Nunc specie inter aues annumeranda volat.
Non oblita sui generis colit alta domorum;
Regum erat Antigone filia, virgo, soror.

DE CVPIDINE ET IOVE.

F. SABAEI.

A Ioue depulsus cœlo, quum staret inermis:
Pascebat pecudes nequitiosus Amor.

Dum mulget, dum tondet oues, lauat, atque reducit:
Indoluit nato deficiente, parens.
Tunc puer indignans, capit arma, tetendit & arcum:
Aurea tela acuit, ventilat inde faces:
Atque minax repetit cœlum violentus, & instat:
Quis contra armatum fert sua tela Deum?
Inque Iouem sæuit plagis: qui pulsus ab astris,
Sub Satyro latuit, sub boue, & imbre, & aui.

EIVSDEM.

Dulce vbi detexit Veneris cum Marte duellum:
Arguit vxorem Mulciber ante Iouem.
Conscia demisso dum staret Cypria vultu;
Addidit increpitans talia verba pater:
Furta quis hæc docuit toties tua? filia dixit:
Quum desunt alij, taurus, olorque docent.

EIVSDEM.

Improbe non credis, quod frangam tela, manusque:
Expediente Deo deuolat inde puer:
Moxque armat dextram: quum Cypria, parce Tonanti,
Clamat: adhuc mugit, & satyrizat adhuc.

EIVSDEM.

Bos, Volucris, Satyrus, fit Iuppiter, imber: amore
Europæ, Lædes, Antiopæ, Danäes.

ACT. SYNCERI SANNAZARII.

De Veneris nato quæsta est Dictinna Tonanti:
Quod nimis ille puer promptus ad arma foret.
Tunc pater accito ostendens graue fulmen Amori:
Hoc tibi sæpe, puer, spicula franget, ait.

Cui lasciuus Amor motis hæc reddidit alis:
Quid si iterum posito fulmine Cygnus eris?

EIVSDEM.

Iuppiter infractos iactat dum sæpe Gigantes:
Et sibi seruati dat decus omne poli:
Sic est, inquit Amor: namq; hoc mugire solebas
Tunc quoq; quum torua fronte iuuencus eras.

DE AMPHITRITE ET NEPTVNO.



FAVSTI SABAEI.

VIctus erat medijs Ponti Neptunus in vndis:
Dura Amphitrite causa caloris erat.
Nam sese in liquidis demens cælauerat antris:
Inuenienda vllo non erat illa loco.

Incuruus Delphin, Dominum miseratus aquarum,
Quærit: & inuentam detegit inde Deo.
Rapta est: erepta nam Virginitate dolebat,
Non raptam, erepta virginitate prius.

EIVSDEM.

Igne, & inauratis percussus corda sagittis,
Vritur in medijs Ennosigæus aquis.
Causa Amphitrite fugiens: percussa timore
Terribilis teli: quod tenet ille manu.
Conscius at Delphin, quo virgo lateret in antro:
Detegit hoc domino: prodidit & Dominam.
Succubuit deprensa Deo, & placata quieuit:
Tela manu tractans, quæ fugiebat, amat.

EIVSDEM.

De Phœbo, Ioue, & Neptuno.


Phœbe bubulcus eras: & equus, Neptune: iuuencus,
Imber, olor, Satyrus Iuppiter, hydrus eras.

DE CANE COELESTI.

FAVSTI SABAEI.

Erigone, & Canis, incurui duo sidera cœli:
Aetherijs radiant, & saturantur equis.
Causa fuit pietas: occulta morte peremptum
Vulgauit Dominum fida catella suum.
Nata videns patrem tam indigno vulnere victum,
Post fletus, ramo triste pependit onus.
Et quia messores, cædem sub messe patrastis:
Hinc vos allatrat, terret & ore Canis.

DE LATONA.



D. BOHVSLAI HASSESTEINII.

RVstica Latonæ latices modò turba negatos
  Incolit: antiquum questa subinde scelus.
Depositura sitim, venit pia mater ad vndas:
  Turbarat vitreos inuida turba lacus.
Nunc quoq; limosis latitat pudibunda sub antris:
  Mutato vluiferos increpat ore sinus.
Et verita infestum radiantis Apollinis orbem:
  Luce sub vndosa rana palude sedet.
Quum primum Oceano se mergit Phœbus Ibero:
  Surgit & innupto Delia vecta choro.
Has retinet gurges: illæ spaciantur in herbis:
  Et folia vmbrosæ frondis opaca petunt.

Sic Lunam variis tentant placare querelis:
Vt redeat populis pristina forma suis.
Ne quicquam tacitas it quorum clamor ad auras:
Latona querulos praetereunte sonos.
Sic manet infelix genus: & spe semper inani
Nunc iacit ad surdos murmura vana Deos.

FAVSTI SABAEI.

Mitescas nostro, coeli regina, dolori:
Quae clausit mundi lumina ventre parens:
Ingeminabat: & huic serpens instabat vbique:
Et tanti vrgebat poena puerperii.
Coelo, & aquis, & humo spoliata repellitur illa:
Quae partu exornat coelum, & aquas, & humum.

NICOLAI REVSNERI.

Dum lymphas turbat Latonae rustica turba:
Et vetat exiguo rore leuare sitim:
Indignata Dea est meritò: potumque vetantes
Ruricolas; ranas protinus esse facit.
Colla tument, albet venter, vox rauca coaxat:
Terga caput tangunt lubrica; spina viret.

P. MELISSI.

Cynthia venatrix est: cantor Apollo: gemelli
Latonae: noctes haec regit, ille diem.

DE PROGNE ET TEREO.

ἄγαμος γάμος.



IO. POSTHII.

Connubio Tereus Prognen sibi iungit: at illis
Pronuba non Iuno, non Hymenæus adest.
Adsunt Eumenides facibus de funere raptis:
Et bubo ad thalamos omina dira canit.
" *Cum truce difficile est vxorem habitare tyranno:*
" *Quem cruor & cædes, bellaq́ue sola iuuant.*
" *Plus valeat pietas in amore fidesq́ue iugali:*
" *Quàm quæstus, & opum perniciosus amor.*

DE PROGNE.



NICOLAI REVSNERI.

QVid Progne, credis Germanam stulta tyranno?
Sic committis ouem credula nempe lupo.
Sic te, Germanamq; tuam malè prouida perdis:
Atq; tuo cumulas crimine crimen heri.
Quum luges non sic lugenda fata sororis:
Et mactas natum, dilaniasq; tuum.

DE PHILOMELA.



M. VALER. MARTIALIS.

Flet Philomela nefas incesti Tereos: & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur auis.

FAVSTI SABAEI.

Fronde sub vmbrosa, raptum solabar honorem
Carmine, apud murmur prætereuntis aquæ.
Mota repercusso sonitu insufflantis auenæ:
Inuiscum, ignotas decido in insidias.
Dum me Threicius virgultis detrahit auceps:
Ingemui, dicens, prædáne semper ero?
Facta auis vt fugiam per inania, & ardua, Thraces:
Nec sic Threïcias effugio insidias.

IN PROGNEN ET MEDEAM.



G. SABINI.

Filia dum celebrat Pandionis orgia Progne:
Iſmarium iugulans enſe peremit Itym.

P. OVIDII NASONIS.

Colchida reſperſam puerorum ſanguine culpant:
Atq́; ſua cæſum matre queruntur Itym.
Vtraq; ſæua parens: ſed triſtibus vtraq; cauſis,
Iactura ſocij ſanguinis, vlta virum eſt.

B. ANVLI.

Dilaniat Tygris rabioſam Hyrcana ſe ipſam:
Et lacerat carnis propria membra ſuæ:

In quemuis alium quoties sæuire negatum est:
Impatiens iræ tanta furit rabies.
Sic Medea suos, Progne sic impia natos
Occidére: quia non potuêre patres.
Illa duos pueros iugulauit, ad ora parentis:
Hæc in dira patris prandia coxit Itym.
O sexus cupidus vindictæ, at viribus impar:
Hyrcana mulier tygride sæua magis.

AD PROGNEN.



P. OVIDII NASONIS.

Coniugis admissum, violatáq; iura mariti,
Barbara per natos Phasias vlta suos.
Altera dira parens hæc est, quam cernis, hirundo:
Aspice, signatúm sanguine pectus habet.

FAV-

FAVSTI SABAEI.

Dic Progne, quid paruus Itys commiserat in te:
Si sceleratus erat vir tuus, ipsa magis.
In natum, hæredem, spem solam, in viscera ferrum
Condere dum pateris; non potes esse parens.
Deniq; si es mater: pereant hæc semina matrum:
Quæ miseros natos, vt perimant, pariunt.

DE ORITHYIA ET BOREA.



AVR. PROPERTII.

CRudelem Boream rapta Orithyia negauit:
Sic Amor, & terras, & maria alta domat.

F. SA-

F. SABAEI.

Aërio in tractu, quum te glacialis amator
Portaret: virgo es naufraga, & vsta simul.
Feruido enim barba, & crines, alæq; volatu,
Vtq; tua flamma concaluêre, fluunt.
Vndæ hinc, flammæ illinc: media inter vtrunq; manebas:
Passa ignes, & aquas, naufraga, & vsta simul.

D. BOHVSLAI HASSESTEINII.

Quid facis ô Borea? num te calor Orithyiæ
Detinet? an veteri captus amore venis?
Si calor in causa est; cur spiras frigore tanto
Improbe? cur tua vis tecta domosq; rapit?
Cur densis niuibus montes complentur, & arua?
Non amor, ô Borea, sed furor ista facit.
Vnde tamen furor hic? quoniam fortasse recusat
Amplexus gelidos Orithyia pati.

DE PANE ET BOREA.

F. SABAEI.

TAm miseranda fuit Pinus, quàm pulcra puella:
Quæ Pane, & Borea Dijs adamatur amans.
Pane potita, iram Boreæ, quem spreuit, inhausit:
Ah miseram in lapides impulit, atq; necat.
Arbor facta, & adhuc flantem, licet arbor, amantem
Et timet, & refugit stridula tam rigidum.

DE HARPYIS.



N. REVSNERI.

QVæ Strophades habitant Harpyiæ, tristis Aëllo,
Ocypeteq́ ferox animis, & dira Celæno:
Sunt auidæ volucres: fraudantes Phinea mensis
Appositis olim: contactuq́ omnia turpi
Fœdantes: & non tantum ædibus expellentes.
Quem redimunt tandem iuuenes, Aquilone creati
Præstantes animis Calais, Zethesq́ superbis:
Aurea cum Minyis dum Vellera, Phasis ad vndas
Per mare non notum, prima petiêre carina.

DE IASONE.



P. OVIDII NASONIS.

QVò non fama tuæ penetrauit laudis Iason?
Aeripedes per te Martis araſſe boues:
Vipereos dentes in humum pro ſemine iactos;
Et ſubitò natos arma tuliſſe viros:
Terrigenas populos, ciuili Marte peremptos;
Impleſſe ætatis fata diurna ſua:
Peruigilem ſpolium pecudis ſ[illegible]e Draconem:
Rapta tamen [illegible] ſua manu.
Semper h[illegible] tuum, laudesq́ manebunt:
D[illegible] ſtellas, dum vehet amnis aquas.

EIVS-

EIVSDEM.

In Argo nauem.

Prima malas docuit, mirantibus æquoris vndis,
Peliaco pinus vertice cæsa vias.
Quæ concurrentes inter temeraria cautes,
Conspicuam fuluo vellere texit ouem.
O vtinam, ne quis remo freta longa moueret,
Argo funestas pressa bibisset aquas.

DE IASONE.



P. OVIDII NAS[...]

M*Artis erant tauri, plus quàm per cornua [...]*
Quorum terribilis spiritus ignis erat.

Aere pedes solidi, prætentaq; naribus æra:
Nigra per afflatus hæc quoq; facta suos.
Quos domat, Aesonide, tua dextera, Colchidos astu:
Nam premis insolito vomere colla boum.
Semina præterea, populos genitura feroces,
Spargis deuota, lata per arua, manu:
Qui peterent natis secum tua corpora telis:
Illa erat agricolæ messis iniqua suo.
Lumina custodis succumbere nescia somno,
Vltimus est, aliqua decipere arte, labor:
Sospes ad Aemonias, victorq; reuerteris vrbes:
Ponitur ad patrios aurea lana Deos.

AVR. PROPERTII.

Colchis flagrantes adamantina sub iuga tauros
Egit: & armigera prælia seuit humo:
Custodisq; feros clausit serpentis hiatus:
Iret vt Aesonias aurea lana domos.

DE MEDEA.



P. OVIDII NASONIS.

Qvam spectas, Medea venefica, barbara pellex,
Impia cantata pabula falce metit.
Illa reluctantem cursu deducere Lunam
Nititur: & tenebris addere Solis equos.
Illa refrænat aquas, obliquaq́ flumina sistit.
Illa loco siluas, viuaq́ saxa mouet.
Per tumulos errat, sparsis discincta capillis:
Et miserum tenues in iecur vrget acus:
Et quæ nescimus meliùs. malè quæritur herbis:
Moribus, & forma conciliatur amor.

EIVSDEM.

Quid te Phasiacæ iuuerunt gramina terræ?
Quum cuperes patria, Colchi, manere domo?
Quid tibi profuerint Circe Perseides herbæ?
Quum tibi Neritias abstulit aura rates?
Omnia fecisti, ne callidus hostis abiret:
Ille dedit certæ lintea plena fugæ.
Omnia fecisti, ne te ferus vreret ignis:
Longus at inuicto pectore sedit amor.
Vertere quæ poteras homines in mille figuras:
Non poteras animi vertere iura tui.
Fallitur, Aemoniæ si quis mala pabula terræ:
Et magicas artes posse iuuare putat.

DE MEDEA.



F. SABAEI.

VEruecem antiquum feruenti coxit aheno:
Balantem imposuit, barbara verba sonans.
Cornua cum lanis, marcentes coxit & annos:
Parcarum leges vertere posse putans.
Et vertit namq; ipse aries renouatur in agnum:
Vbera & exemptus quærit ab ære cauo.

P. OVIDII NASONIS.

Colchis Iasonia Medea relicta carina
Sola: implet lacrymis talia verba suis.
Læse pater gaude: Colchi gaudete relicti:
Inferias vmbræ fratris habete mei.
Deseror amißis regno, patriaq́;, domoq́;,
Coniuge, qui nobis omnia solus erat.
Serpentes igitur potui, taurosq́; furentes:
Vnum non potui perdomuisse virum.
Quæq́; feros repuli doctis medicatibus ignes:
Non valeo flammas effugere ipsa meas.
Ipsi me cantus, artes, herbæq́; relinquunt:
Nil Dea, nil Hecates sacra potentis agunt.
Non mihi grata quies: noctes vigilantur amaræ:
Non tener in misero pectore somnus adest.
Quæ me non possum, potui sopire Draconem:
Vtilior cuius, quam mihi, cura mea est.
Dum ferrum, flammæq́; aderunt, succusq́; veneni:
Hostis Medeæ nullus inultus erit.

DE MEDEA ET IASONE.



P. OVIDII NASONIS.

Coniugis admissum, violataq; iura mariti
Barbara per natos Phasias vlta suos.

FAVSTI SABAEI.

Parce vni saltem nato, ingeminabat Iason:
Vna cæde manus si saturata tua est.
In cinerem vt socerum, & sponsam prospexit, & ædes:
Natorum & miseram matre operante necem.
Vade, & ait; scelus inuisum, sublata per auras,
Nullos esse Deos, quaq; vehare, refer.

EIVSDEM.

Saeua videbatur Colchis, quum stringeret ensem:
Et pia, quum memor est sanguinis illa sui.
Ira, & amor matrem exagitant: vult parcere, nec vult:
Nolle est Medeae, velle parentis opus.

EIVSDEM.

Arripiens ferrum, & donum exitiale, coronam:
Sumite vos pœnas sumite, Colchis ait.
Perderet in natis, & coniuge Iasona tanquàm:
Igne cremat sponsam, pignora & ense ferit.

EIVSDEM.

Angulum & exiguum, latebras vilesq; rogabat,
Pulsa domo Colchis, & spoliata viro.
Denegat ipse Creon: dabit hic dabit ignis & amplam
Sedem, ait: & sese muniit arte sua:
Et sponsam, atq; domum exurit, se tollit in auras:
Aëra pro exiguis nacta fugit latebris.

EIVSDEM.

Pulsa domo, sed non animo Medea profatur:
Exilium quando rex Creo fortè iubet:
Redde mihi patriam, quam pro te perdidi Iason:
Quasq; mihi clausi sponte, recludevias.
Quae pro te fecit, taceo ingratißime, nam sunt
Nota mari, & terrae, nota homini, atq; Deo.
Namq; pudor, frater, genitor tibi, patria ceßit
Vni vni; dos: & dos mea, vita tua est.

DE PELIA.



F. SABAEI.

AVdi hoſpes caſum: natæ pia membra parentis
Enſe, licet trepidæ, deſecuêre ſui.
Reſtitui illa putant nitidæ concocta iuuentæ;
Colchi veneficijs inſidioſa tuis.
Sed fruſtrâ: infelix & ego hac pietate reſectus
Natarum, occubui cuſpide, & igne, & aquis.

DE HELLE ET PHRYXO.



A. ALCIATI.

TRanat aquas residens precioso in vellere Phryxus:
Et flauam impauidus per freta scandit ouem.
Ecquid id est? vir sensu hebeti, sed diuite gaza:
Coniugis, aut serui quem regit imperium.
Seminibus tostis, scelerata fraude nouercæ:
Sustulerat nullas, vt solet, herba comas.
Mittitur ad tripodas, certa qui sorte reportet;
Quam sterili terræ Delphicus addat opem.
Hic quoq; corruptus cum semine, nunciat, Helles,
Et iuuenis Phryxi funera sorte peti.

Vsq; recusantem, ciues, & tempus, & Inô
Compulerant regem iussa nefanda pati.
Et soror, & Phryxus, velati tempora vittis,
Stant simul ante aras, iunctaq; fata gemunt.
Aspicit hos, vt fortè pependerat æthere mater:
Et ferit attonita pectora nuda manu:
Inq; draconigenam, nimbis comitantibus, vrbem
Desilit: & natos eripit inde suos:
Vtq; fugam capiant: aries nitidißimus auro
Traditur: ille vehit per freta longa duos.
Dicitur infirma cornu tenuisse sinistra
Fœmina: quum de se nomina fecit aqua.

FAVSTI SABAEI.

Indomitam fugiens Helle cum fratre nouercam:
Quum biberet salsam naufraga virgo necem:
Fertur vt extremis, dixit lacrymosa, procellis:
Innocua, heu, patrem, deserui, & patriam:
Ira nouercalis dum placaretur: at in me
Pontum eadem, & ventos, atq; Acheronta mouet.

EIVSDEM.

Fac fugias priuigne tuam, & priuigna nouercam:
Helle ab aquis, ab humo clamitat Hippolytus.
Quippe nouercatur viuens, & mortua semper:
Si te odit, perimit: si te amat, & perimit.

DE

DE CYGNO, HYRIES FILIO.



FAVSTI SABAEI.

NE indignare, Hyries fili: quod Phyllius album
Non tibi det taurum, deliciose puer.
Ah formose puer; non sunt tua dulcia membra,
Mollia membra tua hæc præcipitanda mari.
Phœbe veni, solitus puerorum accendier igne:
Aut tu magne Tonans, iam Ganymedis amor.
Brachia Nereides tendant: se iactat in æquor:
O volat albus olor, qui puer albus erat.

IN TELCHINES.



FAVSTI SABAEI.

HEu mihi quid vidi: non sunt insomnia: vidi
Nocte sub illustri Dæmonas horrificos.
Telchines Raziel vocat, & Zoroaster, & audax
Quæ facit infernos turba timere Deos.
Hi manibus diros imo ex Acheronte ferebant:
Et Stygis infestos, mortiferosq; lacus:
Atq; venenata terram sparsêre palude:
Iam mala cuncta nigris exoriuntur aquis.
Quæ genus humanum affligant, lacerantq;, necantq;:
Testis ego, atq; meus pallor, & horror erit.

DE THESEO.



F. SABAEI.

PVrgaui insidijs calles: vrbemq; tributo
Absoluens, auxi ciuibus innumeris.
Si rapui varias diuerso ex orbe puellas:
Mars animosus erat, non mihi causa Venus.
Pacis & impatiens irrupi in Tartara: adortus
Persephonen: intrepidas terrui & Eumenides.
Et cui non sat erant terra, & spacia ampla silentûm:
Huic cineri muto sufficit vrna breuis.

P. OVIDII NASONIS.

Facta premunt annos vitæ tua, maxime Theseu:
Et meriti viuit gloria magna tui.

Per te succumbit Scyron, toruusq; Procustes:
Et Scinis, & tauri mistaq; forma viri.
Et domitæ bello Thebæ, fusiq; Bimembres:
Et pulsata nigri regia cæca Dei.

EIVSDEM.

Si titulos, annosq; tuos numerare velimus:
Facta prement annos: te quondam maxime Theseu
Mirata est Marathon Cretæi sanguine tauri:
Quodq; suam securus arat Cromyona colonus,
Munus, opusq; tuum est tellus: Epidauria per te
Clauigeram vidit Vulcani occumbere prolem:
Vidit & immitem Cephisias ora Procrusten:
Cercyonis telum vidit Cerealis Eleusis.
Occidit ille Scinis magnis malè viribus vsus:
Qui poterat curare trabes, & agebat ab alto
Ad terram latè sparsuras corpora pinus.
Tutus ad Alcathöen, Lelegëia mœnia, limes
Composito Scyrone patet: sparsisq; latronis
Terra negat sedem, sedem negat oßibus vnda.

DE

DE CEPHALO ET AEACO.



IO. POSTHII.

AVxilium Cephalus rogat altis missus Athenis:
Atq; patrum fœdus, iuraq; sancta refert.
Nec mora promittit cano venerabilis æuo
Aeacus: inuitans in sua regna ducem.

DE

DE IVNONE.



IO. POSTHII.

IVno luem terris odiosa à pellice dictis
Irrogat: & primùm corripit illa pecus.
Immoriuntur agris, taurique, hominesque, feræque:
Cuncta iacent fœdis plena cadaueribus.
Aeacus absumptos populos, desertaque rura,
Et vacuas queritur ciuibus esse domos.
(Mira fides) hominum formicis Iuppiter artus
Induit: atque nouo mœnia ciue replet.

DE MYRMIDONIBVS.



FAVSTI SABAEI.

O Cœli inimica, hyemis studiosa, & messis amatrix:
Quum formica domos depopularet apum:
Dulcia mersit aquis, extremaq; tecta fauorum
Villicus: vt fures pellat, & interimat:
Extemplò annexis paleis fecêre carinas:
Ipsæ etiam remis incubuêre suis.
Sedula quid magnum semper formica patrauit:
Nunc nautas, olim Myrmidones peperit.

DE

DE AVRORA ET CEPHALO.



P. OVIDII NASONIS

CLarus erat Cephalus siluis: multaeq; per herbas
Conciderant illo percutiente ferae:
Nec tamen Aurorae malè se praebebat amandum:
Ibat ad hunc sapiens à sene Diua viro.

F. SABAEI.

Diua reuertenti coelo quae surgis, & ornas
Sidereos vultus, purpureasq; manus.
Rore leui & mundas crines, distinguis & auro,
In speculo solis quae renouata nites:

Si am-

Si amplexus roseos, si basia & aurea liqui:
Angebar patris suspicione tui.
Illius amplexu nam plus, quàm filia, gaudes:
Visa verecundas tingis & vsq; genas:
Nuda illi occurris: sub amictu luditis vno:
Tuq; abeunte illo languida, nulla manes.

EIVSDEM.

Quum raperet Cephalum in bigis sub Sole nitentem:
Diua rubicundis vndiq; cincta rosis:
Oscula odoratum insigens redolentia nectar:
Captiuum haud poterat conciliare virum.
Ardet enim Procrin, Procrin suspirat: & illam
Quàm cœlum, mauult, ambrosiam, atq; Deos.

DE CEPHALO.



AGALMATA

FAVSTI SABAEI.

Insanis, Cephale, & nimium: stellantia linquens
Tecta, & humum repetens, fœmineamq; fidem.
Illa parum constans: rara est nam fœmina, amori
Quæ non succumbit, vel prece, vel precio.
Esto ibi. nam si tu benè picta reliqueris astra:
Non aurora tibi, non tibi Procris erit.

DE CEPHALO ET PROCRI.



P. OVIDII NASONIS.

NE *citò credideris: quantum citò credere lædit:*
Exemplum vobis non leue Procris erit.

F. SA.

F. SABAEI.

Cum super extinctam miserando vulnere Procrin,
Argueret Cephalus seq́3, suamq́3 manum:
Exhalasse animam dulcem cum sanguine cernens:
Parce (ait) errori, Procri perempta, meo.
Te duplici fato, feriens, tentansq́3 peremi:
Pectora nunc iaculo, munere et ante fidem.

B. ANVLI.

Zelotypo vxorem Cephalo pulcerrima Procrin
Suspectam facies fecit adulterij.
Zelotypæ vxori Cephalus suspectus adulter:
Auræ sæpe vocans lene refrigerium.
Ille fidem vxoris prætentans munere: sensit
Venalem donis esse pudicitiam:
Et dum quæreret id, quod non reperire volebat:
Perdidit vxorem per nemora alta vagam.
Illa virum obseruans dum post carecta lateret,
Quod dederat, telo concidit icta suo.
Hic ratus esse feram torsit telum: illa recepit:
Hos habuit fines suspiciosus amor.
Ergo, quod à Caio perhibetur Cæsare, dictum:
Esto legitimi lex rata connubij:
Coniugium felix (inquit) non crimine solùm,
Criminis ast omni suspicione vacet.

DE SCYLLA ET MINOE.



IO. POSTHII.

Moenia dum Nisi regis validißima longùm
Terribili Minos obsidione premit:
Hunc videt ex alta virgo Nisëia turri:
Et capitur demens hostis amore sui.
Ergo senem spoliat fatali crine parentem,
Tradit & hunc hosti, se, patriamq; suam.
At thalamo recipi cupiens Minois: ab illo
Spernitur: vt sceleris præmia nulla ferat.

DE SCYLLA NISI.



FAVSTI SABAEI.

TVne es Scylla illa, exstimulata libidine tanta:
O scelerata super fœmineum omne genus.
Immò ipsum scelus, æterni q; infamia secli:
Colchidas, & Mirrhas impietate premis.
Virgo audax, sine fronte, domum, patriamq;, patremq;,
Et demum patrios prodis iniqua Deos.

DE SCYLLA ET MINOE.



P. OVIDII NASONIS.

Filia purpureos Niso furata capillos
Puppe cadens celsa, facta refertur auis.
Altera Scylla, maris monstrum, medicamine Circes:
Puppe premit rabidos, inguinibusq; canes.

FAVSTI SABAEI.

Siccine me miseram fugis ingratissime amantûm?
Postquam vicisti proditione mea.
Omnia propter te confudi, atq; omnia liqui:
Inq; homines edo sic scelus, inq; Deos.
De tauro verè es genitus, non de Ioue summo:
Nil mirum, tantam si feritatis habes.

Obq́; feros mores quis enim mirabitur vnquam
Pasiphäen taurum præposuisse tibi?

DE PASIPHAE.

P. OVIDII NASONIS.

Fortè sub vmbrosis nemorosæ vallibus Idæ:
Candidus, armenti gloria, taurus erat:
Pasiphäe fieri gaudebat adultera tauri:
Inuidia formosas oderat illa boues.
Et modò se fieri Europam, modò postulat Iô:
Altera quod bos est, altera vecta boue.
Quis putet? hanc implet, vacca deceptus acerna,
Dux gregis: & partu proditus auctor erat.

EIVSDEM.

Dædalus occlusit, conceptum semine matris,
Semibouemq́; virum, semiuirumq́; bouem.

AVR. PROPERTII.

Vxorem quondam magni Minois (vt aiunt)
Corrupit torui candida forma bouis.
Nec minus ærato Danäe circundata muro,
Non potuit magno casta negare Ioui.

FAVSTI SABAEI.

Pasiphäe infelix candentis amore iuuenci:
Perdita per siluas, per iuga summa, & agros:
Errat & vt frustra: & sequitur vestigia frustra:
Allicit vt frustra: hæc impatienter ait:
Cur ego non sum Iô, vel saltem Europa: iuuenca
In medio illa gregis, per medium illa mare.

B. ANVLI.

Gnosia Pasiphäe tauro vt frueretur amato:
Factoris arte Dædali:
Dicitur in vaccæ sese aßimulasse figuram:
Inclusa fabrili boue.
Fabula, credibili sed re. Nam Pasiphäe ipsa
Domo latens adultera.
Taurus adulter erat, quem admisit: non alienum
Secuta taurum, sed torum.
In quam non etenim se vertit fœmina formam:
Vt expleat libidinem?
Massalina Lupæ titulum mentita, Lyciscæ
Augusta Lais prostitit.

MICH. TARCH. MARVLLI

Quum malè formosum sequeretur in auia taurum;
Sic Venerem contra Gnosia questa fera est.
Si mihi bos fuerat Dea vir te dante futurus:
Cur non insana Prætidos ora dabas?

IO. MAIORIS.

Pasiphäe niuei flagrauit amore iuuenci:
Gnosia dum prætidos ducit in arua greges.

DE MINOTAVRO.



IO. STIGELII.

Fama fidem fecit Minoïdos atria Cretæ
Irremeabilibus plena fuiſſe dolis.
Sæpe quis ambages intrans, fraudesq́ viarum
Nequaquam fallax inde relegit iter:
Solus at Aegides comitantia fila ſecutus:
Dicitur ambiguas iſſe, rediſſe vias.
Fila ſuo dedit hæc felix Ariadna marito:
Fila per adductas ſæpe recepta manus.
Sic patrias Theſeus victor redit vnus ad oras:
Strataq́ Creteam bellua preßit humum.

AGALMATA
P. OVIDII NASONIS.

De Ariadna.

Certus in hospitibus non est amor: errat, vt ipsi
Quumque nihil speres firmius esse, fugit.
Hypsipyle testis: testis Minoia virgo:
In non exhibitis vtraque iuncta toris.

DE ARIADNA ET BACCHO.

P. OVIDII NASONIS.

GNosis in ignotis amens errabat arenis:
Quà breuis æquoreis Dia feritur aquis;
Thesea crudelem surdas clamabat ad vndas:
Indigno tenebras imbre rigante genas.
Fortè venit Bacchus, Satyris comitatus: at illa
Dum cernit tigres, horret, & inde tremit.
Cui Deus: en adsum tibi cura fidelior, inquit:
Pone metum, Bacchi Gnosias vxor eris.
Munus habe cœlum, cœlo spectabere sidus:
Sæpe reges dubiam, Cressa puella, ratem.
Dixit, & è curru (ne tigres illa timeret)
Desilit: imposito cessit arena pede.
Implicitamque sinu (neque enim pugnare valebat)
Abstulit: vt facile est omnia posse Deo.
Pars Hymenæe canunt, pars altera Euöe clamant:
Sic coëunt sacro nupta, Deusque, toro.

FAVSTI SABAEI.

Felices questus, super aurea sidera noti:
Qui mouêre Deos in tua vota pios.

Terge Ariadna genas: pulcro platitura Lyæo:
Sensit, & ad lacrymas deserit astra tuas.
Quumq; eris inter opes, splendentia & atria cœli:
Teq; coronatam videris, atq; Deam:
Impie, dic, Theseu, tanti desertor amoris:
Liquisti vtiliter, prodis & vtiliter,

DE ARIADNA ET PHYLLIDE.

AVR. PROPERTII.

PAruo dilexit spatio Minoida Theseus:
Phyllida Demophoon: hospes vterq; malus.

P. OVIDII NASONIS.

Phyllida Demophoon letho dedit hospes amantem:
Ille necis causam præbuit, ipsa manus.

F. SABAEI.

Prospiciens quidam cœlo irradiare sereno:
Cui clarum ornarant sidera multa caput.
Arbore ab infami atq; aliam pendere puellam
Thesea deuouit, Demophoonta magis.
Prodit vterq; fidem: euentu sed dispare multùm:
Facta Ariadna decus, Phyllis & opprobrium.

DE ICARO ET DAEDALO.



P. OVIDII NASONIS.

DVm petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus: Icarijs nomina fecit aquis.

EIVSDEM.

Quid fuit, vt tutas agitaret Dædalus vndas?
Icarus immensas nomine signet aquas?
Nempe quòd hic altè, demißius ille volabat:
Nam pennas ambo non habuere suas.
Crede mihi, benè qui latuit, benè vixit: & intra
Fortunam debet quisq; manere suam.

FAVSTI SABAEI.

Damnosas genitor nato monstrauerat artes:
Qui naturæ, audax arte, nouator erat.
Fili, ito (ingeminans) medio tutissimus: alæ
Ne vrantur flammis, néue gelentur aquis.
Altius at spatians ponti perit Icarus vndis:
Vt cecidit flammis, sic tumulatur aquis.

IO. SECVNDI.

Tramite securam medio decurrere vitam
Sit satis, hoc pueri vos didicisse malo:
Torrida Phœbeo qui dum loca peruolat igne:
Ignoto posuit nomina prima mari.

CAEL. CALCAGNINI.

Dædalus insuetis scindat licet äera pennis:
Non cessat natum voce monere tamen:
Icare, per medium, medio tutissimus ibis:
Icarus exclamat, mi pater, affer opem.
Ne frustra repetas miseri præcepta volatus:
Iam rogo, iam dicta qua ratione natem.

NICOLAI REVSNERI.

Subuolat ad cœlum ceratis Dædalus alis:
Sic Labyrinthæo tutus ab hoste fugit.
Icarus it comes huic puer: inter vtrunque volare
Quem monet, & media tutius ire via.
Celsior it, pennisque puer labentibus orbus:
Fatales proprio nomine signat aquas.

HIERONYMI ARCONATI.

Audaci nimis Icarus volatu,
Dum sublime petit Iouis cubile;
Et iussu temerè patris recedit:
Infelix ruit æquor in profundum,
Lapsu præcipitante: cumq́ pennis
Ah pernicibus exuit sub vnda
Vitam cærulea miser misellam.

DE PERDICE.



NICOLAI REVSNERI.

QVæ prosunt alijs, ars, virtus, ingeniumq́,
Me miserum miseræ nempe dedêre neci.
Dædalus artificem dextram faber inuidet eheu:
Et me præcipitem Palladis arce iacit.

Sed

Sed benè, Palladiæ quod seruor numine dextræ:
Perdicem me sic ilicò fecit auem.

IN APRVM CALEDONIVM.



M. VALER. MARTIALIS.

QVi Diomedeis metuendus setiger agris,
Aetola cecidit cuspide, talis erat.

F. SABAEI.

Aeneus est: videas, quantum est, licet æneus, audax
Sus, namq; artificis viuit in ære sui.
Erigit hic setas cubitales: frendit acutis
Dentibus: horrendis territat hic oculis:
Ora madent spuma: quid mirum est ergo, phalangem
Magnanimam iuuenum si laniauit aper?

N. REVS.

AGALMATA

NICOLAI RVESNERI.

Dente fremens, oculis trux, spumans ore; feroxq;
Pectore, vastat agros dum Calydonis aper:
Lecta manus iuuenum coëunt de gente Pelasga:
Conficitur telis hinc, Meleagre, tuis.

DE MELEAGRO ET ATALANTA.



P. OVIDII NASONIS

QVid fuit asperius Nonacria Atalanta?
Succubuit meritis mox tamen illa viri.
Sæpe suos casus, nec mitia facta puellæ,
Flesse sub arboribus Menaliona ferunt:

Sæpe tulit iusso fallentia retia collo:
Sæpe fera toruos cuspide fixit apros.
Sensit & Hylæi contentum saucius arcum:
Sed tamen hoc arcu notior alter erat.

IO. POSTHII.

Ardet Atalantæ forma Meleager: & illi
Aetolæ donat terga, caputq́ feræ.
Hoc socij prohibent: clamorq́ minæq́ sequuntur:
Dantur & hinc fratrum corpora bina neci.
Thestias vt fratres miseranda cæde peremptos
Aspicit: vltrices instruit igne focos:
Imponitq́ focis nati fatalia ligna:
Cum quibus extinctus concidit ille simul.

AND. NAVGERII.

Sæpe pererrabat tacitos Atalanta recessus:
Tuta tamen fido Menalione fuit.
Cingeret obsessos seu curua indagine colles:
Seu cuperet saua cominùs ire via.
Hærebat lateri semper comes ille: nec vnquam,
A domina lato longius vngue fuit.

DE PROSERPINA.



P. OVIDII NASONIS.

THestias absentem succendit stipite natum
Impia: sic fratres est soror vlta suos.

FAVSTI SABAEI.

Colchida, & Althaeam, & Prognen Proserpina cernens:
Maternum nomen consceleraſtis, ait:
Ite, nouercari, esse pium, fecistis: & ite hinc;
Tam diras dira haec odit & aula manus.

EIVSDEM.

In puteum exciderant: & opem lupa blanda petebat
Althaeae: catuli ne moriantur aquis.

Thestias exclamat: natos tutabor ab vndis
Anne tuos, flammis perdere sueta meos?

EIVSDEM.

De Hercule, & Meleagro.

Vritur Alcides, Meleager & vritur: ecquis
Qui cremet Alciden, & Meleagron, erit?
Quis magis audebit muliebri fidere sexu?
Altera si coniux, altera mater erat.

DE SORORIBVS MELEAGRI.



NICOLAI REVSNERI.

Dum cineres, Meleagre, tuos ad busta sorores
Colacrimant: Syrias mox abeunt in aues.

Fratris adhuc nomen retinent: planguntq; gemuntq;
Matris & accusant, voce querente, nefas:
Mens vbi materna est? vbi sunt pia vota parentum?
Vitam cui dederas, est scelus eripere.

DE ACHELOO ET DIANA.



FAVSI SABAEI.

CVltricem nemorum, iaculatricemq; ferarum,
Accensus toto corde Achelous amat.
Diua, pudicitiæ exemplar, spernebat amantem:
Quas poterat, fluidas sic fugiebat aquas.
Quum venientem illum virgo euitare nequiret:
Quærit amatorem fallere posse dolo.

Ora sibi, atq; suis lutat: ille ignarus amata
Cynthia, & erubuit, lusus & inde abijt.

DE IOVE ET MERCVRIO.

ἄπλυτος πλοῦτος.



IO. POSTHII.

CVm Ioue Mercurius cœnat sub paupere tecto:
Gaudet & agrestis simplicitate cibi.
Esse Deos sed enim Baucis cum coniuge nescit,
In cyathis donec crescere vina videt.
" *Sit ius hospitij sanctum: nam maxima laus est,*
" *Mites esse bonis, hospitibusq; bonos.*

LVDOVICI AREOSTI.

Sis lautus licet, & beatus hospes:

Et, quicquid cupis, affluens referto,
Cornu Copia subministret vltrò:
Ne suspende humilem casam, breuemq́;
Mensam naribus hanc tamen recuruis.
Sic nec Bauci tuam, tuam Molorche,
Tuamq́; Icare pauperem tabernam,
Et viles modica cibos patella,
Spreuit Iuppiter, Hercules, Lyæus.

DE BAVCI ET PHILEMONE.



F. SABAEI.

HAec tilia, hæc quercus Baucis fuit, atq; Philemon:
Qui stabili vnanimes consenuêre toro:

Et tegetem vidére suam, mirabile templum:
Digni cœlestes excipere, atq; Iouem.
Cortice contecti cariem posuére senectæ:
Durus sub dura, sub fragili fragilis.

IN ERISICHTHONEM.



IO. POSTHII.

INgens quercus erat Cereri gratissima, cuius
Pendebat sacris multa tabella comis:
Impius hanc famulos Erisichthon cedere cogit:
Vulnera quando sua prima bipenne facit.

EIVSDEM.


LAEsa Ceres volucri dimittit Oreada curru:
In Scythiam: ad mœstæ sordida tecta Famis.



Hanc iubet, vt rabidi fauces Erisichthonis intret:
Illius & miseram cogat egere domum.

EIVSDEM.

NOcte ingressa Fames thalamos Erisichthonis illum
Efflantem somnos repperit ore graues:



Atq; suum spirat scelerata in pectora virus:
Inde subit venas imperiosa fames.

EIVSDEM.

ATtenuarat opes cunctas Eriſichthon edendo:
Nec tamen hinc dira eſt attenuata fames.



Vendit inops tandem præſtanti corpore natam:
Illa fit æquorei libera regis ope.

IN AGMONEM.

FAVSTI SABAEI.

IMpie, quid ſtricto moliris in arbore ferro?
Et nece tam dira conſcelerare manus?
Hæc eſt illa Deis dilecta, & amantibus arbor:
Myrtus odoratis, perpetuisq́ comis:
Aurea quam Venus elegit: quam diligit vnam:
Sub qua laſciuus ſæpe quieſcit Amor:

Inq́; sinu infusum sub qua miratur Adonin:
Imbibit & pulcrum, pulcrior ipsa, Venus.
Ne sæui in fruticem sacrum: sed pone securim:
Ne lædas, quam non lædere nouit hyems.
Parce Agmon Veneri, & nato: ferit iste, crematq́;
Omnia: delectans omnia & illa iuuat.

DE HERCVLE ET EVRYSTHEO.



F. SABAEI.

DVra pati, Alcide, discas: Stheneleius heros
Quæ demandauit conficienda tibi.
Patris enim hoc leuitas, & iniqua nouerca peregit:
Dum fatum hic vulgat, tardat & ista tuum.

EIVS.

EIVSDEM.

De Galantide.

Lucinam elusi, sed nescia: cura dolentis
Impulit Alcmenæ dicere falsa, & amor.
Mutor in oriparam mustelam idcirco Galantis:
Non quia falsa tuli: sed quia amica fui.

DE HERCVLE ET HYLA.



F. SABAEI.

LIttus Hylam, montes & Hylam; vallesq́; sonabant:
Marmoris vt liquidi est gurgite mersus Hylas.
Quid non tentasti, Alcide? sed vana fuerunt
Omnia: nam puerum detinet alter amor.
Alter amor, Nais formosa tenella tenellum
Formosum gremio suauiat in roseo:

Et puer æquæua lætatur virgine: nam tu,
Hispida membra vt habes, horridus, asper eras.
Sat clamatus Hylas: in Hyla erubuëre volucres,
Cerua, aper, Hydra, leo, tergeminusq́ canis.

DE HERCVLE ET ACHELOO.



P. OVIDII NASONIS

CLauiger Alcides Acheloia cornua fregit,
Dum petit amplexus Deianeira tuos.

FAVSTI SABAEI.

Hanc oculos superi ad luctam conuertite vestros:
Quam bonus Alcides, atq; Achelous agunt.

Reijcit

Reijcit hic viridem vestem: fuluum iste leonem:
Lubricus hic, membris strenuus ille suis.
Viuus monstrorum hic domitor; rex alter aquarum
Labentûm: iste Deus, hic quoq; semideus.
Spiritu & acri instant: quàm ingenti mole mouentur:
Flatu auræ ignescunt; pondere terra tremit.
Inq; dracone ruit, tauroq; Achelous, & amne:
Qui draco, quiq; ferox taurus, & amnis erat.

DE NESSO ET ACHELOO.



P. OVIDII NASONIS.

ALcidæ coniux magni generosa, laboris
Causa bis, & pugnæ Deianira fuit.
Cornua flens legit rapidis Achelous in vndis:
Truncaq; limosa tempora mersit aqua.

Semi-

Seminir occubuit vi, lerniferoq; veneno
Nessus: & infecit sanguis equinus aquas.
Nessus vt est auidum percussus arundine pectus:
Hic (dixit) vires sanguis amoris habet.

FAVSTI SABAEI.
EPIT. NESSI CENTAVRI.

Eueni ad ripas vitam tranquillus agebam:
Sed mihi causa fuit Deianira necis.
Trans fluuium hanc reuehens, contraxi vulnus amoris:
Viscera sub gelidis incaluere vadis.
Ausfugis spes, pondus, amor mihi commodat alas:
At me arcu Alcides occupat, ipse cado.
Quod non ausa fuit Saturnia, & orbis, & orcus:
Sanguine nam nostri sanguinis vltor eram.

DE ANTAEO ET HERCVLE.



F. SA.

F. SABAEI.

QVi terram euicit, domuit, spoliauit & Orcum:
Túne Antæe paras conseruisse manus.
Si genitricis opem sentis, regisq; profundi:
Tergeminæ hic noctis filius, atq; Iouis.
Cede illi exorto: depellere monstra, ferasq;:
Edomuisse homines; sustinuisse Deos.

EIVSDEM.

Aequoris, & cœli regum generosa propago
Luctatur: merces vita, vel interitus.
Concidit Antæus Libs: gloria in Hercule Achiuo est:
Ecquid cum Libyco Græca palæstra viro?

IN XII. LABORES HERCVLIS.



M. VALER. MARTIALIS.

SI cupis Alcidæ cognoscere facta potentis,
Disce, Libyn domuit: aurea poma tulit.
Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo:
Addidit Arcadio terga leonis apro.
Aeripedem siluis ceruum: Stymphalidas vndis
Abstulit: à Stygia cum cane venit aqua.
Fœcundam vetuit reparari mortibus Hydram:
Hesperios Thusco lauit in amne boues.

TIT. LVCRETII.

Herculis antistare quidem si facta putabis:
Longiùs à vera multò ratione ferêre.
Quid Nemeæus enim nobis nunc magnus hiatus
Ille leonis obesset? & horrens Arcadius sus?
Deniq; quid Cretæ taurus, Lernæaq; pestis
Hydra venenatis posset vallata colubris?
Quidue tripectora tergemini vis Gerionai?
Et Diomedis equi, spirantes naribus ignem,
Thracen, Bistoniasq;, plagas atq; Ismara propter,
Tantoperè officerent nobis? vncisq; timendæ
Vnguibus Arcadiæ volucres Stymphala colentes?
Aureaq; Hesperidum seruans fulgentia mala
Asper, acerba tuens, immani corpore serpens,
Arboris amplexus stirpem? quid deniq; obesset
Propter Atlantæum littus, pelagiq; sonora,
Quo neq; noster adit quisquam, nec Barbarus audet?

AGALMATA
M. TVLLII CICERONIS
Ex Sophocle.

O multa dictu grauia, perpessu aspera:
Quæ corpore exantlato, atq; animo pertuli.
O forte robur dextræ: ô victrices manus:
O pectora, ô terga: ô lacertorum tori.
Vestróne pressu quondam Nemeæus leo
Frendens, efflauit grauiter extremum halitum?
Hæc dextra Lernam tetram, mactata excetra
Placauit: hæc tricorporem afflixit manum:
Erimanthiam hæc vastificam abiecit belluam.
Hæc à Tartarea tenebrica abstractum plaga
Tricipitem eduxit Hydra generatum canem.
Hæc interemit tortu multiplicabili
Draconem, auriferam obtutu obseruantem arborem.
Multa alia victrix nostra lustrauit manus:
Nec quisquam à nostris spolia cepit laudibus.

P. OVIDII NASONIS.

Fœdantem primùm peregrino templa cruore
Busirim domui: sæuoq; alimenta parentis
Antæo eripui: nec me pastoris Iberi
Forma triplex; nec forma triplex tua Cerbere mouit.
Vósne manus validi preßistis cornua tauri?
Vestrum opus Elis habet, vestrum Stymphalides vndæ,
Partheniumq; nemus: vestra virtute relatus
Thermodontiaco cælatus baltheus auro:
Pomaq; ab insomni malè custodita dracone.
Nec mihi Centauri potuêre resistere, nec mê
Arcadiæ vastator aper: nec profuit hydræ,

Crescere

Crescere per damnum, geminasq́ resumere vires.
Quid? quum Thracis equos humano sanguine pingues,
Plenaq́ corporibus laceris præsepia vidi?
Visaq́ deieci? dominumq́ ipsosq́ peremi?
His elisa iacet moles Nemeæa lacertis:
Hac cœlum ceruice tuli.

L. AN. SENECAE.

Nullus per vrbes errat Arcadias leo:
Stymphalis icta est: Mænali nulla est fera:
Sparsit peremptus aureum serpens nemus:
Et Hydra vires posuit: & notos Hebro
Cruore pingues hospitum fudi greges:
Hostisq́ traxi spolia Thermodontiæ.
Vidi regentem fata, nec tantùm redij;
Sed trepidus atrum Cerberum vidit dies,
Et ille Solem: nullus Antæus Libys
Animam resumit: cecidit ante aras suas
Busiris: vna est Geryon sparsus manu,
Taurusq́ populis horridus centum pauor.

EIVSDEM.

Infantis ætas monstra superauit priùs
Quàm nosse posset: gemina cristati caput
Angues ferebant ora: quos contra obuius
Reptauit infans: igneos serpentium
Oculos remisso pectore, ac placido intuens:
Arctos serenis vultibus nodos tulit:
Et tumida tenera guttura elidens manu,
Præclusit Hydræ. Mænali pernix fera,
Multo decorum præferens auro caput,

Deprensa cursu est. maximus Nemeæ timor
Gemuit lacertis pressus Herculeis leo.
Quid stabula memorem dira Bistonij gregis,
Suisq; regem pabulum armentis datum?
Solitumq; densis hispidum Erymanthi iugis
Arcadia quatere nemora Mænalium suem?
Taurumq; centum non leuem populis metum?
Inter remotos gentis Hesperiæ greges,
Pastor triformis littoris Tartessij
Peremptus: acta est præda ab occasu vltimo.
Notum Cythæron pauit Oceano pecus,
Penetrare iussus Solis æstiui plagas,
Et adusta medius regna quæ torret dies:
Vtrinq; montes soluit abrupto obice:
Etiam ruenti fecit Oceano viam.
Posthæc adortus nemoris opulenti domos
Aurifera vigilis spolia serpentis tulit.
Quid sæua Lernæ monstra, numerosum malum,
Non igne demum vicit, & docuit mori?
Solitasq; pinnis condere obductis diem,
Petijt ab ipsis nubibus Stymphalidas?
Non vicit illum cœlibis semper tori
Regina, gentis vidua Thermodontiæ:
Nec ad omne clarum facinus audaces manus,
Stabuli fugauit turpis Augiæ labor.

P. VIRGILII MARONIS.

Alcide, tu nubigenas inuicte bimembres,
Hyleumq;, Pholumq; manu, tu Cressia mactas
Prodigia, & vastum Nemeæ sub rupe leonem.

Te Stygij tremuêre lacus: te ianitor Orci,
Ossa super recubans antro semesa cruento:
Nec te vlla facies, non terruit ipse Typhoëus
Arduus, arma tenens: non te rationis egentem
Lernæus turba capitum circumstetit anguis.

CL. CLAVDIANI.

Te neq́; Dictæas quatiens mugitibus vrbes
Taurus; non Stygij terruit ira canis.
Non leo sidereos cœli rediturus ad axes;
Non Erymanthæi gloria montis aper.
Solus Amazonio cinctus Stymphalidas arcu
Appetis: occiduo ducis ab orbe greges.
Tergeminiq́; ducis numerosos deijcis artus:
Et toties vno victor ab hoste redis.
Non cadere Antæo, non crescere profuit hydræ:
Non ceruam volucres eripuêre pedes.
Caci flamma perit: rubuit Busiride Nilus:
Prostatis rubuit nubigenis Pholöe.
Te Libyci timuêre sinus: te maximus Atlas
Horruit: imposito quum premerêre polo.
Firmior Herculea mundus ceruice pependit:
Lustrarunt humeros Phœbus, & astra tuos.

M. VALER. MARTIALIS.

Astra, polumq́; dedit, quamuis obstante nouerca,
Alcida, Nemeæ terror, & Arcas aper:
Et castigatum Libycæ ceroma palæstræ:
Et grauis in Siculo puluere fusus Eryx:
Syluarumq́; tremor, tacita qui fraude solebat
Ducere nec rectas Cacus in antra boues.

TIT. VESP. STROZAE.

Paruus adhuc geminos lacerat Tirynthius angues:
Parrhasias certa cuspide figit aues.
Mactat aprum: clauaq; terit Busiridis artus:
Perdomitoq; truces hospite mollit equos.
Victor inaccessos hortos, custode perempto,
Intrat: & Hesperidum splendida mala rapit.
Et subtracta iacet Nemeaa bellua silua:
Tartareus discit vincula ferre canis.
Et tibi sublato validis Antae lacertis,
Mœsta negat solitam subdere mater opem.
Ardua victrici submittere cornua dextra
Cogitur: & celerem sistere Cerua fugam.
Atq; tot vnius vitas miratur, & arma
Geryonis populus; tergeminamq; necem.
Quid memorem frustra minitantem incendia Cacum?
Et toties victa colla recisa fera?
Horrida nubigenas actos in pralia fratres
Quid loquar? & fraudem, perfide Nesse, tuam?

DEC. AVSONII MAGNI.

Prima Cleonai tolerata arumna leonis.
Proxima Lernaam ferro, & face contudit Hydram.
Mox Erymanthaum vis tertia perculit aprum.
Aeripedis quartò tulit aurea cornua cerui.
Stymphalin pepulit volucres discrimine quinto.
Threiciam sexto spoliauit Amazona balteo.
Septima in Augia stabulis impensa laboris.
Octaua expulso numeratur odorea tauro.
In Diomedeis victoria nona quadrigis.

Geryone extincto decimam dat Iberia palmam:
Vndecimum mala Hesperidum distracta triumphum.
Cerberus extremi suprema est meta laboris.

INCERTI AVCTORIS.

Compreßit Nemeæ primùm virtute leonem.
Extincta est anguis quæ pullulat Hydra secundò.
Tertius euictus sus est Erymanthius ingens.
Cornibus auratis ceruam necat ordine quartò.
Deijcit horrisono quintò Stymphalidas arcu.
Abstulit Hyppolytæ sextò sua vincula victa.
Septimus Augiæ stabulum labor egerit vndis.
Octauò domuit magno luctamine taurum.
Tùm Diomedis equos nonò cum rege peremit.
Geryonem decimò triplici cum corpore vicit.
Vndecimò abstractus vidit noua Cerberus astra.
Postremò Hesperidum victor tulit aurea mala.

AND. ALCIATI.

Per Allegoriam.

Roboris inuicti superat facundia laudes:
Dicta sophistarum, laqueosq́ resoluit inanes:
Non furor, aut rabies virtute potentior vlla est:
Continuum ob cursum sapienti opulentia cedit:
Spernit auaritiam, nec rapto, aut fœnore gaudet:
Vincit fœmineos, spoliatq́ insignibus, astus:
Expurgat sordes, & cultum mentibus addit:
Illicitos odit coitus, abigitq́ nocentes:
Barbaries, feritasq́ dat impia deniq́ pœnam:
Vnius virtus collectos dißipat hostes:

Inuehit in patriam externis bona plurima ab oris:
Docta per ora virûm volat, & non interit vnquàm.

DE HERCVLE OETEO & dracone Heſperidum.



HIERONYMI VVOLFII.

Alciden adigunt tormenta, facesq́; dolorum:
Ponat vt Oeteo membra cremanda rogo.

F. SABAEI.

Vidit vt exuſtum Alciden, caluumq́;, ſenemq́;,
Armatumq́;: Draco tunc ait Heſperidum:
Hic te expectaui inſomnis, prædo improbe; pœnas
Nunc furti, & noſtri ſanguinis ipſe dabis.

Mon-

Monstrorum excepit domitor: iam nudus, & infans
Attriui, eliso gutture, te geminum:
Et septemgemino fœcunda morte peremi
Tertiò: at affœtas experiare manus.

DE HERCVLE INDIGETE DEO.



F. SABAEI.

QVod mortale tibi fuit, atq; domabile flamma,
Alcide: in rapida mansit id omne pyra.
Pars melior superat cœliq; nitentibus oris
Inuehitur, leuibus, patre iuuante, rotis.

EIVSDEM.

De Baccho & Hercule.

Exorti hîc Thebis ambo, natiq́; Tonantis:
Virtute inuicti; dignus vterq; Ioue.
Tympano, & insignis thyrso hic: victo iste leone,
Indomita & claua: numine vterq; pari.
Exagitati ambo, sæuæ Iunonis ob iram;
Vicerunt reges, imperia, atq; Deos.
Ambo triumphantes; victores orbis, & Orci:
Emerita ad cœli præmia, ab igne volant.

DE DRYOPE.



FAVSTI SABAEI.

Qualis eram, è dulci poteris cognoscere fructu:
Qui gustat, natos exuit, & patriam.
Pulcra quidem, & genitrix: ne ferrem obscœna Priapi
Passa hominum fieri lotos, & esca fui.

P. OVIDII NASONIS.

Impia Dulichio lotos gustata palato,
Illo, quo nocuit, grata sapore fuit.

NICOLAI REVSNERI.

Fert baccas Lotus, Tyrios imitata colores:
Quos pascit, memores haud sinit esse sui.

DE AVRORA ET TITHONO.

P. VERGILII MARONIS.

Pascitur Aurora Tithonius nectare coniux:
Atq; ita iam tremulo nulla senecta nocet.

FAVSTI SABAEI.

Marcenti & gelido occurrens Aurora marito:
Visa Deo est solito pulcrior esse seni.
Vultum incendebat rutilantem purpura, & aurum:
Plena & erat gemmis, floribus, atq; rosis.
Dic mihi (ait coniux) sic sis pulcerrima Diuûm:
Vnde tibi variæ tot cumulantur opes?
Diua viro arridens (vt erat blandissima) dixit:
Tethyos è gremio surripui, & madui.

AGALMATA EIVSDEM.

Picta roſis digitos, torpentem frigore, & annis
Tithonum coniux liquerat alma ſenem:
Frena reſumentes, ternas iam ſenſerat horas
Ambroſia ſaturos, tollere colla & equos.
Quum patri crocea occurrens in veſte refulſit:
Nec mage nota ſeni, nec mage viſa fuit.

DE VENERE.



Dum Venus Anchiſen ſub opaca amplectitur vlmo:
Vnde caput ſacrum fortè pependit apri:
Hoc ſubitò inde cadens Diua perſtrinxit amantem:
Tunc Paphia: inſequeris, ſus truculente, meos
Siccine amatores? laceraſti viuus Adonin:
Nunc & in Anchiſen mortuus ipſe ruis.

DE VENERE ET CVPIDINE.



F. SABAEI.

EXurgens ſomno vigilem propè vidit Amorem:
Gauiſa eſt nati ſedulitate parens.
Tunc Deus arma parat: ſopitum ſuſcitat ignem:
Obuia quo feriat cuncta, cremetq́ puer.
Pulcer Adonis adeſt: viſoq́ Cupidine, & arcu,
Et Paphia ardenti, palluit, & rubuit:
Cui Venus, aude, inquit: trepido dedit oſcula: at ille,
Igne hauſto, ad pugnam tela animoſa parat.
Hæc vt Amor vidit: tegit ora rubentia, abitq́:
Tunc viſus primum eſt erubuiſſe puer.

EIVSDEM.

De Venere & Adonide.

Infusum gremio Veneris Panopaus Adonin
Vidit, & erubuit: sed magis ipsa Venus.
Nam quæ mortales oculos nec cernere, nec fas
Ora loqui: inspexit, pertimuitq́; sinus:
Apponensq́; manus capiti, nec cornua tangens:
Syluarum, & thalami quàm Dea distat, ait.

EIVSDEM.

Quisnam hic tam pulcer? Paphiæ dilectus Adonis
Quid caput istud apri, quid canis iste notat?
Venatus, casusq́; sua sunt signa cruentæ:
In quem oculos vertit? quam cupit, in Venerem.
Tantus amor vicit iuuenem: quod saxeus illum
Marmoreum inquirit, respicit, ardet, amans.

EIVSDEM.

Prætereuntem vndis sparsit Venus aurea Adonim:
Dum sua Acidalijs membra lauaret aquis.
Sensit odoratos latices, solitumq́; calorem:
Purpureumq́; iubar, ambrosiamq́; videns:
Iecit in amplexus roseos, niueasq́; papillas
Se puer: & tandem basia mille dedit.
Cætera cùm peterem: tacuerunt Naiades: ipsa
Virgineis Charites erubuëre genis.

DE ADONI ET VENERE.



FAVSTI SABAEI.

DVm Venus extincto flens oscula figit Adoni:
Et lacrymis pueri vulnus, & ora lauat:
Ore, oculisq; trahit vulnus: quo tota perardet:
Quod nequit extingui fletibus, aut gemitu.

EIVSDEM.

Qui Paphiæ fueram gratißimus ardor Adonis:
Flos ego formosus, post mea fata, fui.
Non penitus speciem amisi, vitamq;: Cythere
Alma dedit vitam: murice vestit humus.

EIVS.

EIVSDEM.

Si fueram Veneri carus, si dulcis amator:
Indicio est nectar, purpureusq; color.
Purpura restat adbuc: suauem testantur odorem
Mellisflua, assiduè quem populantur, apes.

EIVSDEM.

Aurea formoso Cytherea parabat Amori
Serta: legens flores collibus Idalijs:
Non nisi lugubres, tinctosq; cruore: papauer,
Narcissusq; madens, atq; hyacinthus erat.
Rosciduli, plaga nondumq; oblita recentis,
Applicuit labris humida serta, & ait:
O dulces pueri, tuq; ô pulcerrime Adoni:
Suaue & adhuc spiras, dulce & adhuc redoles.

EIVSDEM.

Purpureum, vulnusq; suum, Cytherea papauer,
Florigera, dixit, dum populantur apes:
Inuideo vobis: sola mea gaudia habetis:
Melq; meum rapitis, deliciasq; meas.

ACT. SYNCERI SANNAZARII.

Confidit nimium iaculo dum pulcer Adonis:
Inguina setosus candida rupit aper.
Accurrit miseranda Venus: tum nupta Tonantis:
Quid gemit haec? nullo Mars meus ictus apro est.

M. TARCH

M. TARCH. MARVLLI.

Mœsta Venus rapti casum plorabat Adonis:
Factaq; fulminei vulnera dente suis:
Sensit, & indignans, quid stes Dea? Mulciber inquit:
Non habet in Martem ius violentus aper.

HIERONYMI VLPII.

Quum Cytherea procul Parium spectaret Adonim:
Accurrens tales fudit ab ore sonos:
Quis deploratum nobis te reddit Adoni?
Quæue tibi lucem fata dedêre nouam?
Dixit, & ad caros amplexus læta cucurrit:
Figeret vt niueis oscula pressa genis.
Ast aprum aspiciens, noua vulnera dente minantem:
Semianimis trepido concidit icta metu.
Viuere quis neget hos lapides? si incendit Adonis
Corda Deæ forma, vulnere terret aper.

DE VENERE ET APOLLINE.



F. SABAEI.

INuita dum cæde manus lauat amne cruentas
Tristis Apollo: quibus perdidit Oebaliden:
Fata suorum animo euoluens crudelia amorum:
Protulit in casus talia verba truces:
Iam creuêre meo nemora alta cruore: & eodem
Vulnere nunc humus est florida, & vnda rubet.

EIVSDEM.

Extinctum preciosa Venus plorabat Adonim:
Quum super accessit pulcer Apollo, & ait:

Vna, soror, te cura angit: me bina remordet:
Vsq; adeò, lætus sim licet, vt doleam.
Cari, inquam, semper mecum viuetis amores:
Dura nimis Daphne: fauste Hyacinthe parum.

EIVSDEM.

Dum Venus in Cypro, & Phœbus per prata vagantes
Florida: habere solum sidera picta vident:
Dumq́; Hyacinthus ibi, atq; rubens occurrit Adonis:
Pulcer vterq; suo funere; Phœbus ait:
Dic soror; hæc nostris num exultat amoribus istis?
An luctu, & nostro terra dolore gemit?
Hic meus, iste tuus dolor, & gratissimus ignis:
Ille Hyacinthus erat: alter Adonis erat.

EIVSDEM.

Siccabat Veneris lacrymas plorantis Adonim,
Flens & Amor, blanda sollicitaq; manu:
Lenibatq́; necem, quamuis puer ore diserto:
Quum sic suspirans rettulit ista parens:
Hanc plagam, hos luctus, & causam cædis acerbam,
(Tolle manum) ista tua cuncta dedêre manus.

DE MYRRHA.



IO. POSTHII.

Myrrha patris fœda succensa cupidine flagrat:
Prodere sed nulli sustinet ægra nefas.
In tenebrisq; suos laqueo finire furores
Dum parat: adueniens vincula rumpit anus.

DE MYRRHA ET CYNIRA.



F. SABAEI.

CRimina ne desint obscœna: pudenda parentis
Ignari ascendit filia Myrrha torum.
Nascitur inde liquor, puer & formosus Adonis:
Cypria quo exusta est, quo benè templa & olent.
Quid non audendum est? postquàm de crimine turpi
Myrrha fluit: venit & tam speciosus amor.

DE MYRRHA IN ARBOREM VERSA.



IO. POSTHII.

Myrrha patrem fugiens, loca per deserta cucurrit:
At requiem fessæ terra Sabæa dedit.
Arbor & hic facta est: quæ nomine gaudet eodem:
Inde genus ducis, pulcer Adoni, tuum.

P. OVIDII NASONIS.

Myrrha patrem, sed non vt filia debet amauit:
Et nunc obducto cortice pressa latet:
Illius lacrymis, quas arbor fundit odora,
Vngimur: & dominæ nomina, gutta tenet.

AVR. PROPERTII.

Imperat heu quoties menti furiosa libido
Fœmineæ: verum nescit habere modum.
Testis Cretæi fastus quæ passa iuuenci,
Induit abiegnæ cornua falsa boui.
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo:
Quæ voluit liquido tota subire Deo.
Crimen & illa fuit patria succensa senecta:
Arboris in frondes condita Myrrha noua.
Nam quid Medeæ referam, quo tempore matris
Iram natorum cæde piauit amor?
Quidúe Clytemnestræ, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?
Tuq; ô Minoa venundata Scylla figura:
Tondens purpurea regna paterna coma:
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti:
Nise tuas portas fraude reclusit amor.
At vos innuptæ felicius vrite tædas:
Pendet Cretæa tecta puella rate.
Non tamen immeritò Minos sedet arbiter Orci:
Victor erat, quamuis æquus in hoste fuit.

DE CHIMERA ET BELLEROPHONTE.



Q. HORATII FLACCI.

Terret ambustus Phaëthon auaras
Spes: & exemplum graue præbet ales
Pegasus, terrenum equitem grauatus
Bellerophontem.
Semper vt te digna sequare, & vltrà
Quam licet, sperare nefas putando,
Disparem vites.

F. SABAEI.

Damnatum morti falsò, & virtute solutum,
Aëra tranantem Bellerophonta vides.

Iste

Iste securigeras deuicit Amazonas armis:
Et multos populos, multiplicemq́ feram.
Pro nece consequitur tædas, & sceptra: pudoris
Illæsi castæ tam potuêre faces.

A. ALCIATI.

Bellerophon vt fortis eques superare Chimæram:
Et Lycij potuit sternere monstra soli:
Sic tu Pegaseus vectus petis æthera pennis:
Consilioq́ animi monstra superba domas.

DE CANACE ET MACAREO.

FAVSTI SABAEI.

A Duro misera excipiens patre filia ferrum:
Condat vt in proprium sanguinolenta latus:
Tum Canace infelix nudato pectore, & ense,
Occumbam gemina, dixerat, vna nece.
Vna erit, iste ensis patrius, mors: altera cari
Fratris in amplexu non potuisse mori.

EIVSDEM.

Heu plus, quàm decuit fratrem, me frater amauit:
Quamq́ patrem decuit, me pater odit atrox.
Aequè amor, ac odium, natæ nocet, atq́ sorori:
Hic causam, hic gladium præbuit, vnde obij.

DE BYBLIDE.



FAVSTI SABAEI.

Byblis spreta suo, & stimulata libidine fratri
Ingeminat, luctu dissoluenda graui:
Matre obuoluuntur Persæ, Pharijq; sorore,
Atq; Dei: cur tu Byblida Caune fugis?
Furta Amor hæc laudat: veniet geminata voluptas;
Vna sororis inest: altera amantis erit.

DE CAVNO ET BYBLIDE.

IO. POSTHII.

Furtiuos cum fratre suo coniungere somnos
Byblis: & hoc fieri mater amante cupit.
Frater ad incestos sapientior effugit ignes:
Nullum accensa modum flamma sororis habet.
Iam patriæ Caunus dulcißima liquerat arua:
Sustinet hunc flagrans Byblis amore sequi.
Tandem fessa cadit, lacrymisq; soluta profusis,
Naiadum fons est munere facta nouus.
Byblis in exemplo est, vt ament concessa puellæ:
Verus amor iustum debet habere modum.

DE LEAN-

DE LEANDRO.

M. VALER. MARTIALIS.

QVum peteret dulces audax Leander amores:
Et fessus tumidis iam premeretur aquis:
Sic miser instantes affatus dicitur vndas:
Parcite, dum propero: mergite, dum redeo.

P. OVIDII NASONIS.

Sæpe petens Herô iuuenis tranauerat vndas:
Tunc quoq; tranasset: sed via cæca fuit.

EIVSDEM.

Sæpe tua poteras Leandre carere puella:
Tranabas, animum nosset vt illa tuum.

DE GANYMEDE ET IOVE.



F. SABAEI.

AVreum vt aurata puerum conspexit ab arce
Iuppiter: Idæum nequitiosus amat.
Ardet, & insanit; toto sub pectore versans,
Et pueri vultus, & genus, & speciem.
Cuncta cupit; quia cuncta placent: proq́; omnibus vnum
Suspirat: multò plus boue, & imbre, & aui.
Impatiens & amoris, ait: miser vsq; ab amore,
Vsq; ab amore miser vincor, & excrucior.
Qui cœlum, terrasq́; traho, retrahoq́; catena:
Fulmine qui reges territo, quiq́; Deos:

Ardeo,

Ardeo, & excrucior: manicis, & compede vinctus
In puero omnipotens, in Ganymede Deus.

ACT. SYN. SANNAZARII.

Iusserat Iliacum mensis astare ministrum
Iuppiter: at coniux, Quis mihi miscet? ait:
Ille verecundis libat crystalla labellis:
Cui Dea: amatori da puer ista tuo.

DE ISIDE ET TELETHVSA.



IO. POSTHII.

SI pareret Lygdo coniux Telethusa puellam:
Protinus hanc letho clam dare iussa fuit:

Isis sed contrà mandat sub imagine somni:
Decipiat pariens vt Telethusa virum.
Iphis auus fuerat: soboli dat nomen auitum
Lygdus: & vxorem deligit inde pater.
Affert Isis opem: nam quæ modo templa subibat
Fœmina: mox puerum mater abire videt.

DE IPHIDE.



F. SABAEI.

IPhis erat mulier: latitantem in veste virili
Vicini, immò pater credidit esse marem.
Deceptus genitor pulcram huic despondet Ianthen:
Cum sponsa sponsa vt virgine virgo cubet.

Tædæ

Tedæ accenduntur: procedit nupta; Cythere,
Et Iuno præsens, erubuêre, & Hymen.
Erubuisse iuuat: potitur namq; Iphis Ianthe:
Quem constat geminis testibus esse marem.

DE EVRYDICE.



NICOLAI REVSNERI.

DVm legit Eurydice flores per amœna vireta:
Orpheio nuper iuncta puella toro.
Occidit, in talum serpentis dente recepto:
Consortem linquit sic noua nupta suum.

F. SABAEI.

Eurydice debet latitanti admorsa colubro:
Per quem seruauit morte pudicitiam.

Sub Styge & experta est flammamq;, chelinq; mariti:
Styx flamma inuenta est: Tartara victa Chely.

M. ANT. CASANOVAE.

Nulla suos vxor meliùs iactauit amores
Nam mori, vt Eurydice bis benè nulla potest.
Et si fortè mori cuiquam bis posse daretur:
Eurydice fieri non tamen vlla velit.

DE EVRYDICE ET ORPHEO.



TIT. VESP. STROZAE.

POne graues, Orpheu, curas: neu crede gemendo
Tartareos iterum posse mouere Deos.

Quod semel amissum nullo reparabile pacto:
Hoc ipsum leuius si patiaris erit.
Inuenies alios quos admireris amores:
Eurydicenq; nouam Thessala terra dabit.
Orphea sic frustra solatur Nympha: sed ille
Eurydicen luget nocte dieq; suam.
Osculaq; & nymphas, lucemq; perosus, in ipsos
Tandem amens iactat non bona verba Deos.

F. SABAEI.

Vxore amissa, clamabat, parcite Manes:
Qui fregit, portas ex adamante, chely.
Parcere ni scirent, debebant parcere amanti:
Impatiens legum est, qui impatienter amat.
Vt cantu, est visu tua sic miserabilis, Orpheu,
Quæsita Eurydice, perdita & Eurydice.

EIVSDEM.

Auferor, affer opem, fer opem, nocte auferor, Orpheu,
Sic misera ingeminans bis perit Eurydice.
Quid facies, Orpheu? manes clausêre barathrum:
Adq; auras frustra concinis, adq; rogos.
Quàm felix habita, tam infelix coniuge adempta es:
Plus se ipsum, inuictam est quàm superare necem.

STEPH. FORCATVLI.

Threïcius scopulis sensum testudine vates,
Atq; aures duris addidit arboribus.
A sæuo lacrymas extorsit Dite: canora
Voce ciens, dulcem manibus, Eurydicen.

Quid sibi vult antiqua, rogas, hæc fabula, lector?
An quod is agrestes traxerit ore viros?
Immanes flectit regina oratio rerum;
Blanda nec alloquitur lingua: quid ergo? facit.

DE AMPHIONE ET ORPHEO.



P. OVIDII NASONIS.

QVum traheret siluas Orpheus, & dura canendo
Saxa: bis amissa coniuge mœstus erat.

EIVSDEM.

Saxa, ferasq́ue lyra mouit Rodopeius Orpheus:
Tartareosq́ue lacus: tergeminumq́ue canem.

Saxa tuo cantu, vindex iustissime matris,
Fecerunt muros officiosa tuos.
Quamuis mutus erat voci fauisse putatur
Piscis, Arioniæ fabula nota lyræ.

FAVSTI SABAEI.

Artificésne manus, aurésne habuistis acutas:
Saxa repercussu obsequiosa sonis?
Quum bonus Amphion premeret vos pectine, & Orpheus:
Sensistis, quantum carmine vterq; valet.
Fine tamen vario grata, atq; ingrata fuistis:
Orphea destruitis, mœnia construitis.

NICOLAI REVSNERI.

Terribiles Orpheus tigres, rabidosq́; leones,
Et volucres cantu leniit, atq; feras.
Saxa sono blandæ mouit testudinis alter
Amphion: Thebas dum struit absq; manu.
Scilicet agrestes animos, hominesq́; feroces
Molliit, & populos imbuit arte rudes:
Quos blanda flexit prece comiter, eloquioq́;:
Et quos ius docuit, iustitiamq́; sequi.

P. VERGILII MARONIS.

Threïcius quondam vates fide creditur canora
Mouisse sensus acrium ferarum:
Atq; amnes tenuisse vagos:
Et surda cantu concitasse saxa.

Suauisonosq; modos testudinis arbores secutæ
Vmbram feruntur præbuisse vati.
Sed placidis hominum dictis fera corda mitigauit:
Doctaq; vitam voce temperauit:
Iustitiam docuit: cætu quoq; congregauit vno:
Moresq; agrestes expoliuit Orpheus.

AVR. PROPERTII.

Orphea te tenuisse feras, & concita dicunt
Flumina Threïcia detinuisse lyra.
Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem
Sponte sua in muri membra coisse ferunt.

CL. CLAVDIANI.

Ocia sopitis ageret quum cantibus Orpheus:
Neglectumq; diu deposuisset opus;
Lugebant erepta sibi solatia nymphæ:
Lugebant dulces flumina mœsta modos.
Sæua feris natura redit: metuensq; leonum
Implorat citharæ vacca tacentis opem.
Illius & auri fleuêre silentia montes:
Syluaq; Bistoniam sæpè secuta chelym.
Sed postquàm Inachijs Alcides missus ab Argis
Thracia pacifero contigit arua pede:
Diraq; sanguinei vertit præsepia regis:
Et Diomedeos gramine pauit equos:
Tum patriæ festo lætatus tempore vates:
Desuetæ repetit fila canora lyræ:
Et resides leni modulatus pectine neruos:
Pollice festiuo nobile duxit ebur.

Vix auditus erat: venti sternuntur, & vndæ:
Pigrior astrictis torpuit Hebrus aquis.
Porrexit Rhodope sitientes carmina rupes:
Excussit gelidas pronior Ossa niues.
Ardua nudato descendit populus Hæmo:
Et comitem quercum pinus amica trahit.
Cyrreasq́; Dei quamuis despexerit artes;
Orpheis laurus vocibus apta venit.
Securum blandi leporem fouêre molossi:
Vicinumq́; lupo præbuit agna latus.
Concordes varia ludunt cum tigride damæ:
Massylam cerui non timuêre iubam.

TIT. VESP. STROZAE.

Orpheus arguto stupefactos carmine montes,
Fluminaq́;, & volucres, allicit atq; feras.

P. MELISSI.

Amphion blandæ potuit testudinis olim
Dura penetranti saxa mouere sono.
Vnde (fide maius) Thebani concita muri
Sponte sua inter se membra coisse ferunt.
Quos non aspiceres lucos, syluasq́; sequentes,
Insuetos culta ponere sede pedes?

DE ARIO.

DE ARIONE.



P. OVIDII NASONIS.

QVod mare non nouit, quæ nescit Ariona tellus?
Carmine currentes ille tenebat aquas.
Sæpe sequens agnam lupus est à voce retentus:
Sæpe auidum fugiens restitit agna lupum.
Sæpe canes, leporesq́ umbra iacuêre sub vna:
Et stetit in saxo proxima cerua leæ:
Et sine lite loquax cum Palladis alite cornix
Sedit; & accipitri iuncta columba fuit.
Cynthia sæpe tuis fertur, vocalis Arion,
Tanquàm fraternis obstupuisse modis.
Quodq́ fide maius, tergo delphina recuruo
Se memorant vati supposuisse nouo.

Ille sedet, citharamq́ tenet, preciumq́ vehendi
Cantat, & aequoreas carmine mulcet aquas.

FAVSTI SABAEI.

Dum mare per medium, Delphino vectus, Arion:
Mulceret tumidas iam cytharoedus aquas:
Nereïdes placidæ in numerum duxêre choreas:
Lusit & in summis tunc Galatea vadis.
Cernere saltantes fuerat Delphinas: & ipsos
Tritones raucis increpuisse tubis.
Omnia laeta inerant: Sirenes, Scylla, Charybdis
Latratum, dulces & posuêre dolos.
Gaudete ô vates: nam post fera numina Auerni,
Et mare pacatum, tunc lyra facta Dea est.

NICOLAI REVSNERI.

Musica quid posset, sensit cytharoedus Arion:
Dum sequitur blandam bellua blanda chelym:

DE CAEDE ORPHEI.



F. SABAEI.

Demulsi tigres: firmaui flumina, & æquor
Placaui Eumenides, tergeminumq́ canem.
Inter serpentes, inter fera Tartara tutum;
Me miserum, Thraces desecuêre nurus.
Crudeles & plusquàm tigres, flumina, & æquor:
Plusquàm etiam Eumenides, tergeminusq́ canis.

M. TARCH. MARVLLI.


Orphea dum miseranda parens tumularet ademptum:
Tectaq́ mellifluicerneret ora viri:

At tu nate facis, dixit, præconia diuis:
Quid nisi damnatus fulmine & Enceladus?

STEPH. FORCATVLI.

Mænades Ismarij sparserunt Orpheos artus:
Hinc siluæ, hinc volucres, hinc doluêre feræ.
Orgia non fuerant, lymphataq́; tibia tanti:
Vt silices tractæ carmine, tela forent.
Heu, caput auulsum ceruice argenteus Hebrus
Excipit; & doctam cuncta ciere lyram.
Dulcia femineci cecinit modulamina voce:
Nat lyra, datq́; simul per vada triste melos.
Membra legunt Musæ, variè dispersa per agros:
Hæc inhumant: Lesbon protulit vnda caput.
Mox lyra Threicijs in cœlum effertur ab vndis:
Vt resonans siluas traxerat, astra trahit.

DE VIN-



DE VINDICTA CAEDIS ORPHEI.



FAVSTI SABAEI.

DEmisêre neci lapides vatem Orphea: & hydri
Mordebant sacrum post sua fata caput.
Calliopea parens subitò mutauit in angues,
Saxa, in saxa hydros: pignus & vlta fuit.
Indignum est, rupes qui animauit, rupit & Orcum:
Quod saxa exaniment, quod lacerent colubri.

DE ARISTAEO ET EVRYDICE.



F. SABAEI.

Parce mihi Eurydice, fletu ingeminabat amator:
Visa fuit lacrymis parcere velle piis:
Quumq; daret iuuenis morienti basia amata:
Visa fuit lacrymis parcere nolle suis.
Digna Deûm natis, adamantina soluere iura:
Perdidit heus te bis huius, & huius amor.

EIVSDEM.

Mella liquare fauis, & apes reparare docebas:
Obdurare herbis lac quoq; molle tuis.
Cyrenes fili, sunt hæc inuenta Deorum:
Felix, si nunquam videris Eurydicen.

Illa sed in causa est: fugiens te perdidit, & se:
Nunc syluæ reticent: Orphea & antra gemunt.

EIVSDEM.

Stringere Aristæus niueum lac repperit: & vos
Taurigenæ amissas congenerauit apes:
Atq; domos harum fragranti munere Diuum
Stipatus, dulci depopulauit ope.
Perdita at Eurydice nisi se luxisset, & illam:
Monstrasset nobis nectar, & ambrosiam.

DE ATYDE.



P. OVIDII NASONIS.

PHryx puer in siluis, facie spectabilis, altis,
Turrigeram casto vinxit amore Deam.

Hunc sibi

Hunc sibi seruari voluit, sua templa tueri:
Et dixit, semper fac puer esse velis.
Ille fidem iußis dedit: &, si mentiar (inquit)
Vltima, qua fallam, sit Venus illa mihi.
Fallit, & in nympha Sagaritide desinit esse,
Quod fuit: huic pœnas exigit ira Deæ.
Naiada vulneribus succidit in arbore factis:
Illa perit: fatum Naiadis arbor habet.
Hic furit: & credens thalami procumbere tectum:
Effugit, & cursu Dindyma summa petit.
Et modò tolle faces, remoue modò verbera, clamat:
Sæpe Palæstinas iurat adesse Deas.
Ille etiam saxo corpus laniauit acuto:
Longaq; in immundo puluere tracta coma est.
Voxq; fuit, merui: meritas de sanguine pœnas:
Ah pereant, partes quæ nocuêre mihi.
Ah pereant, dicebat adhuc; onus inguinis aufert:
Nullaq; sunt subitò signa relicta viri.

F. SABAEI.

Interdicta tibi Veneris ne gaudia tentes:
Pollicitis maneas inuidiose puer.
Vndique te obseruat Cybele turrita, nec vsquàm est:
Quis putet annosam fallere posse Deam?
Dixeram. at ecce Atys, per summa cacumina currens,
Nec vir, nec mulier, inguinis orbus, erat.
Indignata Dea in pinum Berecynthia vertit:
Postquàm arma abiecit, quæ placuêre Deæ.

DE CYPARISSO.



ACT. SYN. SANNAZARII.

Flebat adhuc mœrens ceruo Cyparissus adempto:
Quum sua conspexit cortice membra tegi.
Delius exclamat: quid nostro silua dolore
Crescis? tu Daphnen, tu Cyparisson habes.

IO. POSTHII.

Vt ceruum iaculo Cyparissus fixit amatum:
Atq; anima vidit deficiente mori.
Hoc, ait, imprudens feci: sunt Dij mihi testes:
Sensit & in frondes diriguisse comas.

NICO.


Tu luges alios, & ades lugentibus omni
Tempore: munus habes, quod Cyparisse rogas.

FAVSTI SABAEI.

Ad Solem.

Hanc tibi, quam cernis, radiantem floribus oram,
Propter aquæ fluuium lucidioris habe.
Consecro, cunctorum ô genitor, quæ circuit orbis:
Quæ fati, & variant conscia signa poli.
Solstitijs vtrisq; precor defende Cupressum:
Ne noceant æstus, ne glacialis hyems.
Arbor enim Chariti nostræ dilecta perennet:
Quondam cura tui, nunc mage cura mei.

DE CO



DE CORASTIS.



IO. POSTHII.

CAede hominum, placido faciebat sacra Tonanti:
Quæ coluit Veneri gens Amathunta sacram:
Vertit in horrendos Dea quam Cytherea iuuencos:
Inde truces animi, frons'q; seuera manet.
Heu quot adhuc homines scelus hoc imitantur in orbe:
Hospitij miseris qui pia iura negant.

DE PYGMALIONE.



FAVSTI SABAEI.

PYgmalion genus elatum muliebre perosus:
Puppam confecit ex elephante faber:
Hanc amat, exornat, suspirat, tractat, & ardet:
Consortem veluti, deliciasq; tori.
Mens intenta potest deducere sidera cœlo:
Ad sua & infernos vota mouere Deos.
Namq; ebori incubuit tam firma cupido: quod illud
Viua puella fuit Pygmalionis ebur.

IO. POSTHII.

Corpore vt insignem sculpsit, facieq; puellam
Pygmalion: operis captus amore sui est.

Imponensq; toro: fiat, precor, hæc mea coniux:
Dixit: & alma Venus viuere iußit ebur.

DE ATALANTA ET HIPPOMENE.



P. OVIDII NASONIS.

ABstulit Hippomenes Schœneida, præmia cursus:
Quæ propero cursu vicerat antè procos.

F. SABAEI.

Cydippen pomum, pomum Schœneida cepit:
Virginibus semper mala fuêre mala.

P. LOTICHII SECVNDI.

Poma suo quondam iuuenes in amore iuuabant:
Auxilium multis poma tulisse ferunt.
Regis aquæ pronepos malo Schœneida vicit:
Quam nequijt cursus, poma tulistis opem.
His tibi Cydippe (scit candida Delos) Aconti:
His patruo Cereris filia iuncta suo est.

DE HIPPOMENE ET ATALANTA.



F. SABAEI.

QVæ potui celeres ventos præuertere cursu:
Seruio turritæ, facta leæna, Deæ.

Aerios

Aerios tractus sulcans, euincta capistro:
Axe traho Cybelen, compare cumq́ʒ viro:
Nomina si quæras dicam, causamq́ʒ tacebo:
Hæc Atalanta leuis: pulcer hic Hippomenes.

SIMILE EIVSDEM.

Eglen Pyrrhus amat: Pyrrhum dilexit & Egle:
Connubio impariles: verùm in amore pares.
Conueniunt templo in Triuiæ, & potiuntur amore:
Dum turpe hoc iterant irreuerenter opus:
Oppreßi saxo occumbunt: quia sæpè nefandum est
Concubuisse scelus, virginem & ante Deam.

DE MIDA.



IOAN. POSTHII.

REx Phrygiæ stolidus verti cupiebat in aurum
Omne, quod admota tangeret ipse manu:
At citò pœnituit voti: quum deniq; posset
Nec releuare famem, nec releuare sitim.

IACOBI MICYLLI.

O quàm sæpe malis melior fortuna refulget,
Et venit indignis gloria multa viris.
Quàm stolidus Phryx est, aures indutus aselli,
Iudicio cuius victus Apollo fuit.
Et tamen hic, quicquid tangit, transmutat in aurum:
Et tingit micis flumina tota nouis.

DE MIDAE AVRIBVS.



IOAN.

IOAN. POSTHII.

PAn calamos inflat: cithara canit augur Apollo:
Pana Deo præfert, carminis arte, Midas.
Huic similes asinis affingit Delius aures:
O quot habent fatuos secula nostra Midas.

IO. MAIORIS IOACHIMICI.

Stulta leues capiunt animos: sua cuiq; libido est:
Vtrem pro cithara gaudet habere Midas.

B. ANVLI.

Iudice sub Tmolo concertauere canentes,
Pan pastor calamis: cantor Apollo lyra:
Et prolata Midæ fertur sententia: suaui
Stridula cui melior tibia censa chely.
Ob quod tam absurdum votum indignatus Apollo:
Auriculas asini dat sine mente Midæ.
Auriculis asini fatuus rex notus vt esset,
Dignis tam stolidi iudicio capitis.

FAVSTI SABAEI.

Vocales quoq; verba sciunt producere cannæ:
Insufflatæ vt sint, contumulatæ & humi:
Quumq; animatæ insunt cannæ, & motantur ab aura:
Dementis dicunt crimina tecta Midæ:
Rectum agite, ô reges: si vestra obscœna tacebunt
Linguæ: ea vulgabunt aura, & arundo leuis.

DE LAOMEDONTE.



IO. POSTHII.

REx maris, & Phœbus Troia noua mœnia condunt:
Sed frangente datam Laomedonte fidem.
Pontus obit terras: & regis filia monstro
Poscitur: Alcidæ quod fera claua necat.

F. SABAEI.

De Didone, & sorore.

Anna repugnantem valido dum cernit amori:
Germanam aggreditur sic miserata suam.
Tune etiam patiare tuam intabescere mentem?
Obstabit geminis vnáne Elisa Deis?

Cui soror:

Cui soror: heu timeo nam Laomedonta, Parimq́;:
Hospitium ille suum perdidit: ille Deos.
Anna refert: pius iste fuit patriq́;, Deisq́;:
Traxit ab igne Deos, traxit ab hoste patrem.
Huic Dido: immò sua deserta coniuge, furtim
Abstulit iste Deos, perdidit & patriam.
Hoc videam quamuis: peiora capessere cogor:
Heu Venus, heu Veneris perniciose puer.

P. OVIDII NASONIS.

Præbuit Aeneas & causam mortis, & ensem:
Ipsa sua Dido concidit vsa manu.

DE THETIDE ET PELEO.



AGALMATA

FAVSTI SABAEI.

FRenatis inuecta Thetis Delphinibus, æquor
Sulcabat placidum: Peleos igne furens.
Ille verecundus cùm declinaret amantem:
Diua Deas recitat concubuisse viris.
Et prece, & exemplis Peleus vix cessit amori:
Tam Thetidi rigidus, quàm sibi, amator erat.

ALB. TIBVLLI.

Carmine purpurea est Nisi coma: carmina ni sint,
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.

DE CHIONE.



FAVSTI SABAEI.

DIlexêre vnam Chionem duo, Phœbus, & Hermes:
Et gemino fœtu hanc implet vterq; Deus.

Alipes

Alipes Autolyco: Phœbusq́ Philammone: & ambo
Patris mox similes arte fuêre sui.
Alter Apollo inerat cantu, fidibusq́ canoris:
Fraudibus, & furtis alter Atlantiades.
His elata parens natis, & amantibus ipsis:
Se præferre ausa est ore Diana tibi.
Conficis hanc lingua: lingua peccârat: & inquit:
Displicui vultu, displiceamq́ manu.

DE LVPO.



IO. POSTHII.

FOrtè suos Peleus spacioso in littore tauros
Liquerat: hos sternit Martius ore lupus.
Diua Thetis solido commutat marmore corpus:
Atq́ feram pecori posse nocere vetat.

DE CEY-

DE CEYCE.



NICOLAI REVSNERI.

CLasse petit Delphos Ceyx, Trachinius heros:
Dijs oblaturus munera grata suis.
Tempestas oritur maris ingens, atq; procella:
Quò maneat, coniux, terq;, quaterq; rogat:
Fida viri coniux, & lecti gloria rara:
Sed frustra: pietas debita suadet iter.
Sic abit ille quidem: medijs sed mergitur vndis:
Fluctibus, & ventis cùm maris ira furit.
Alcyonen pius ingeminat sine fine maritus:
Ceycemq; vocat non minus ipsa suum.

Proq; viri superis facit irrita vota salute:
Thuraq; fert casta relligiosa manu.
Ille perit ponte: nec coniux sola superstes,
Conscia iam fati permanet, absq; viro.
Nam thalamo quos iunxit Hymen; mox iungit in vrna:
Cumq; viro fiunt, frater, & vxor, aues.

DE ALCYONE ET CEYCE.




F. SABAEI.

VRgebat superos pro caro coniuge coniux:
Sospes vt Ioniis ille rediret aquis.
Littus adit: pelago in medio miserumq; cadauer
Ceycis mersi vidit vt Alcyone:

Insilit in fluctus, vndarum oblita, suiq;:
Facta & auis rostro basia multa dedit.
Oscula sensit amans, & ad illa reuixit: amoris
Vis quanta est: ab aquis, & nece flamma micat.

DE ALCYONIBVS.



F. SABAEI.

Coniugio iuncti vnanimes, & fœdere amantes,
Nos fuimus, quos nunc cernitis, alcyones.
Iam mare tranquillum est: securi soluite nostro
Auspicio: ecce mari nidificamus aues.
Credimus & pelago natos: quid maius? & illa,
Si dubitatis adhuc, pignora pignus erunt.

AD SOMNVM.



FAVSTI SABAEI.

Somne quies, & pax mortalibus vnica laßis:
Quo varium mentes exspaciantur iter.
Solis inaccessum tenebris horrentibus antrum;
In medio & riuum lenè fluentis aquæ,
Seruo tibi: quum nox Auroræ cedit, & alas
Exuit humentes: nam requiescit ibi.
Funde meis luctus oculis obliuia tanti:
Basia Pasithee sic tibi mille ferat.

DE LV.

DE LVNA ET ENDYMIONE.

P. OVIDII NASONIS.

Latmius Endymion non est tibi Luna pudori,
Nec Cephalus roseæ præda putanda Deæ.

FAVSTI SABAEI.

Saucia Luna, graui & cura stimulata, per altos
Quærebat montes Endymiona suum.
Tandem, ait, inuento, quæ te mora; forsan & ignis
Te nouus incertum detinuêre diu?
Dum te inuestigo per summa cacumina: lassus
Irrepit somnus: rettulit ille mihi.
Quin, te Semicaper postquam malè cauta fefellit:
Immutas vultus, nec loca certa tenes.

EIVSDEM.

Semicaper si te, ne cures Luna, fefellit,
Velleris oblata conditione, Deus.
Sat tua fraterno decorantur corpora amictu:
Neglige veste tegi, nam mage nuda places.
Et quia, quid sit amans, nosti: tege vellere amantes:
Quin & in hoc foueas Endymiona tuum.

ACT. SYNCERI SANNAZARII.

Spreuerat hirsutas pascentem Pana capellas:
Candida nocturnis quæ Dea fertur equis.
At postquam niueæ conspexit munera lanæ:
Posthabuit notas Endymionis oues:

Qui si-

Qui ſimul ac triſtes ſomno inclinaret ocellos:
Mors hæc mors (inquit) non mihi ſomnus erit.

ANG. POLITIANI.

O mihi quanta datis fallaces gaudia ſomni:
Inuideo, Endymion Latmia ſaxa tibi.
Iam ſi nil ſopor eſt, gelida niſi mortis imago:
Omnia mors ſuperat gaudia, vita vale.

NICOLAI REVSNERI.

Per iuga dum nemorum pharetrata Diana vagatur,
Errantem ſiluis Endymiona videt.
Deperit hunc amens: & vt oſcula carpat ab ore
Paſtoris, longo membra ſopore grauat.
Tuta Diana diu ſic oſcula figit amanti:
Oſcula Dijs magnis per mare digna peti.

TIT. VESP. STROZAE.

Abſtulit Endymion tenera Latoida forma:
Dum patrio niueas monte reducit oues.

DE AESACO ET EPERIE.



F. SABAEI.

DEsine velle tuam sub aquis reperire puellam:
Teq; retentatis perdere Merge vadis.
Viue dolore tuo, diraq; cupidine mortis:
Quod causa Eperie, cæsa furore tuo.
Impie tu serpens, vsq; insidiator amorum:
Eurydicen quondam, nunc rapis Eperien.

DE IPHI-

DE IPHIGENIA.



NICOLAI REVSNERI.

DVm iaculo Atrides transfigit in aulide ceruam
Ignarus: nimiam læsa Diana furit.
Indignata mari ventos immittit, & vndis:
Sæuit hyems, pestis sæua moratur iter.
Sanguine virgineo placandam virginis iram
Consultus Calchas protinus esse iubet.
Stat virgo castum iam profusura cruorem,
(Quis putet?) ante aras Iphigenia sacras.
Victa Dea est; nam supposita pro virgine cerua,
Sacra probans: sacris præficit inde suis.

F. SABAEI.

De Clytemnestra.

Non satis est tanto quod sim viduata marito:
Eripitur quoq; iam filia cara mihi.
O mea nata, Deis sæuis mactanda: hymenæi
Hine tui? atq; mei (prò dolor) hi generi?
O domus infelix, crimen discrimine tanto,
Mercaris ventos sanguine, bella nece.

DE COENEO.



D. AVSONII.

COenea conuertit proles Saturnia: Consus
Ambiguoq; fuit corpore Tiresias.

Vidit semiuirum fons Salmacis Hermaphroditum:
Vidit nubentem Plinius Androgynum.
Nec satis antiquum: quod Campana in Beneuento
Vnus epheborum virgo repentè fuit.

DE CYGNO.



NICOLAI REVSNERI.

Contemptor ferri, nulloq́ʒ forabilis ictu:
Cum forti confert Cygnus Achille manum:
Vulnus erat nullum, sanguisq́ʒ in corpore nullus:
Quamuis immiti cæsus ab hoste foret.
Parua mora est, victor curru fremebundus ab alto
Desilit: & Cygnum cominùs ense premit:

Cedentemq́ sequens instat, turbatq́, ruitq́:
Faucibus elisis eripit inde animam.
Contulit in volucrem corpus Deus æquoris albam:
Mortuus, & viuus nomen Oloris habet.

DE LAODAMIA ET PROTESILAO.



P. OVIDII NASONIS.

PHyllacidæ coniux magno comes isse marito
Fertur, & ante annos occubuisse suos.
Fata Pheretiadæ coniux Pegasæa redemit:
Proq́ viri est vxor funere læta sui.
Accipe me Capaneu, cineres miscebimus, inquit
Iphias: in medios desilit inde rogos.

M. MA-

M. MARVLLI.


Dum fugit amplexus euanida coniugis vmbra:
Osculaq́; à stygijs vsq; petita vadis.
Quò sine me (inquit) amans? non est ratis ima puellis
Clausa: satis satis ô sola relicta semel.
Dixit: & in medijs subitò collapsa querelis:
Magnanimo comes it Laodamia viro.

DE CAPANEO ET EVADNE.

FAVSTI SABAEI.

Istud adhuc calidum est, spiratq́; incendia marmor:
Et diri inde cadunt, atq; pij cineres.
Vna est Euadnes: Capaneiq́; altera flamma:
Omnipotente manu est vtraq; facta Deûm.
Illum dextra Iouis: demum arma Cupidinis illam
Demisêre neci: dispare fine iacent.
Vir meritò: nupta immeritò: quæ spontè per ignes
Ad nigra tranantem stagna secuta virum.
Vade, vbicunq; aderis, viues: Manesq́; fauillas
Extinguent lacrymis, vmbra beata, suis.

DE HASTA ACHILLIS.



P. OVIDII NASONIS.

VVlnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti:
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

F. SABAEI.

Fraxinus ære micans, acies adamantina, & ingens:
Nec tractanda aliјs Pelias hasta fui:
Vulnera quæ feci poteram quoq; tollere: & hostes
Lædere, & arte iterum conciliare mea.

DE HECTORE.

Q. HORATII FLACCI.

MOuit nepotem Telephus Nereium;
In quem superbus ordinârat agmina
Mysorum; & in quem tela acuta torserat.
Vnxêre matres Iliæ addictum feris
Alitibus, atq; canibus homicidam Hectorem:
Postquam relictis mœnibus rex procidit
Heu peruiacis ad pedes Achillei.
Setosa duris exuêre pellibus
Laboriosi remiges Vlyssei
Volente Circe membra: tunc mens, & sonus
Relapsus, atq; notus in vultus honor.

EIVSDEM.

Hectora Priamiden, animosum atq; inter Achillem
Ira fuit capitalis: vt vltima diuideret mors:
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in vtroq;
Summa fuit. Sic inuidia plerunq; vaporant
Summa, & quæ sunt excelsis magis edita cunque.

F. SABAEI.

Hectora quid paruo concludis Troia sepulcro?
Tam breuis ingentem non capit vrna virum.
Mille rates, totidemq; duces, natiq; Deorum
Sternere quem nequeunt, siccine sola tegis?
Europæ, atq; Asiæ fines, non Troia, sepulcrum est:
Vni vnus titulum scripsit, & iste satis.

EIVSDEM.

Manibus Andromacha Hectoreis hæc iusta ferebat:
Percutiens pectus, & lacerans'q; genas.
Præsidium ô fessis, & propugnacula Teucris:
O mora fatorum nobilis, Hector, vbi es?
Fulta tuis humeris durârant Pergama in annos
Vsq; decem: Danais dùm timor vnus eras.
Tu patriæ columen, tu gloria, vita, salus'q;:
Tecum abijt patriæ gloria, vita, salus.

P. OVIDII NASONIS.

Hector erat tunc, quum bello certabat; & idem
Tractus ab Aemonio non erat Hector equo.

EIVSDEM.

Hectora tot fratres, tot defleuêre sorores:
Et pater, & coniux, Astyanax'q; puer;
Et longæua parens: tamen ille redemptus ad ignes,
Nulla'q; per stygias vmbra renauit aquas.
Contigit hoc etiam Thetidi: populator Achilles
Iliaca ambustis ossibus arua premit.
Illi cæruleum Panope matertera crinem
Soluit: & immensas fletibus auxit aquas.
Consortes'q; Deæ centum, longæua'q; magni
Oceani coniux, Oceanus'q; pater;
Et Thetis ante omnes: sed nec Thetis ipsa, nec omnes
Mutârunt auidi tristia iura Dei.
Nam rigidum ius est, & ineuitabile mortis:
Stant rata non vlla fila tenenda manu.

DE PARIDE.



FAVSTI SABAEI.

Quid trepidas stantem ante fores admittere mortem?
Quis tibi conferri, post tua fata, potest?
Arbiter & superûm, generosiq; Hectoris vltor:
Vltor & Hesiones es, Priamiq;, Pari.
Rapta Helena, Aeacida occiso, visisq; Deabus,
Felices oculi, brachia, labra, manus.

P. OVIDII NASONIS.

Luce Deas, cœloq; Paris spectauit aperto:
Quum dixit Veneri; vincis vtranq; Venus.

EIVSDEM.

Apta magis Veneri, quam sunt tua corpora Marti:
Bella gerant fortes; tu, Pari, semper ama.

DE ACHILLE.

F. SABAEI.

QVàm vario motu digna, atq; indigna patrauit,
In Thetidis nato subdolus, acer Amor?
Pugnaces torpere dedit, pro pellice rapta:
Pro socio erepto mouit ad arma manus.
Quod plus, Iliacæ conceptum ob virginis ignem,
Duxit in insidias, indecoremq́; necem.
Turpiter vt traxit, & vendidit Hectora ob aurum:
Turpiter elusus sic cadit ante diem.

EIVSDEM.

Qui sunt hi questus? Thetidis miserabile carmen:
Qui contrà gemitus? Nereidum gemitus.
Insolitum est lugere Deas? præstantia Achillis
Alta, dolere Deas impulit, atq; Deos.
O Pari, inique Pari, insontis fax vltima Troiæ:
Cogis in arma homines, in lacrymasq́; Deos:

DE AIACE TELAMONIO.



IO. POSTHII.

CVm Telamoniade sapiens contendit Vlysses:
Promptior hic lingua, fortior ille manu.
Sed Laërte satus, magni ducis arma reportat:
Eloquij tanta est gratia, tantus honos.

F. SABAEI.

Magnus hic est Aiax, quem vos plorastis Achiui:
Talem hostes etiam congemuêre necem.
Hæc sepeli tecum (lacrymans dicebat Vlysses)
Arma Aiax: cædis causa fuêre tua.
Indignam ob mortem, & tantos sine fine dolores
Terra & adhuc flores, signa doloris, alit.

P. ME-

P. MELISSI.

Ad Troiam post tot certamina quòd iacet Aiax:
Non hostes, socios arguit ille suos.

A. ALCIATI.

Aeacidæ Hectoreo perfusum sanguine scutum:
Quod Græcorum Ithaco concio iniqua dedit:
Iustior arripuit Neptunus in æquora iactum
Naufragio: vt dominum posset adire suum.
Littoreo Aiacis tumulo namq; intulit vnda:
Quæ boat, & tali voce sepulcra ferit:
Vicisti Telamoniade, tu dignior armis:
Affectus fas est cedere iustitiæ.

DE AIACE IN FLOREM VERSO.



P. ME-

P. MELISSI.

Hic Telamoniadæ est tumulus: quem Parca peremit:
Tam gladio, illius quàm simul vsa manu.
Vndiq; nam quærens, hominem non Atropos vllum
Repperit: Aiacem qui daret ense neci.

EIVSDEM.

Balteus Aiacis datur Hectori, & Hectoris ensis
Aiaci; dono portat vterq; necem.

A. ALCIATI.

Aiacis tumulum lacrymis ego perluo Virtus:
Heu misera albentes dilacerata comas.
Scilicet hoc restabat adhuc, vt Iudice Græco
Vincerer: & caussa stet potiore dolus.

F. SABAEI.

Incumbens gladio, & contemplans sanguinis amnem:
Protulit hæc Aiax verba suprema miser:
Si non vis nomen, nostras testare querelas:
Terra, cruentatis sanguinolenta notis.
Tunc vtrunq; notis testata in flore duabus:
Vna querelarum, nominis vna fuit.

NICOLAI REVSNERI.

Fortis, & inuictus victor, Telamonius Aiax:
Qui ferrum vicit toties, ignemq;, Iouemq;:
Quiq; tot egregios heroas vicit, & armis
Perdomuit toties; vna nunc vincitur ira:
Inuictumq; virum vincit dolor, atq; cupido.

Sic nemo

Sic nemo Aiacem potuit superare, nisi Aiax:
Dum nimis impatiens, grauioris morte, repulsæ:
Lethiferum condit sua per præcordia ferrum.
O quantum decus est se vincere posse per iram:
Maxima (si nescis) victoria, vincere seipsum est.

HIERONYMI VVOLFII.

En Telamoniades heros fortissimus Aiax,
Mentis inops, proprio traÿcit ense latus.

DE TROIA.



P. OVIDII NASONIS.

MVlciber in Troiam, pro Troia stabat Apollo:
Aequa Venus Teucris: Pallas iniqua fuit.

Oderat Aeneam propior Saturnia Turno:
Ille tamen Veneris numine tutus erat.
Sæpe ferox cautum petijt Neptunus Vlyssem:
Eripuit patruo sæpe Minerua suo.

BOHVSLAI HASSESTEINII.

Sulcat aquas, Helenamq́ rapit Paris: acer Atrides
Concitat Argiuos, Aulida classis habet.
Deseritur Sparte; Priamiq́ venitur ad vrbem:
Pugnatur: multo sanguine terra madet.
Orbantur matres natis, vxorq́ marito:
Sternuntur Graij, Dardanidæq́ simul.
Ida sonat gemitu: cæsorum adduntur vbiq́
Vulnera vulneribus, funera funeribus.
Hectora Pelides perimit: Phœbiq́ sagittis
Ipse cadit: vincit Græcia; Troia perit.

F. SABAEI.

Tu quem diuitiæ faciunt, & regna superbum:
Quàm tua sors, casu, lubrica, disce meo.
Troia fui, labor egregius Diuumq́, hominumq́:
Regum antiqua parens: terror, honosq́ Asiæ.
Cuius ad arma Scythæ venêre, & Amazones, & quæ
Nilum, Ararim, Tanaim gens, & Oronta bibit.
Pro qua pugnârunt superi, & fudêre cruorem:
Capta iam in immundum deliteo cinerem.

EIVSDEM.

De Cassandra.

Vaticino correpta Deo Cassandra canebat:
Cùm Priami ruerent, & decora alta Deûm:

Vltrices flammæ, Iliacas absumite terras:
Troia renascetur maior ab hoc cinere:
Totq́; etiam Priami, totq́; Hectores inde resurgent:
Qui terram implebunt nomine, & astra, & aquas.
Diruite intereà Graij, & succendite Troiam:
Ista ruina & vos obruet, atq; Thetim.

P. OVIDII NASONIS.

Vrite victrices Neptunia Pergama flammæ:
Nunc minor hic toto est altior orbe cinis.
Iam pius Aeneas sacra, & sacra altera patrem
Afferet: Iliacos accipe vesta Deos.
Victaq́; iam vinces, euersaq́; Troia resurges:
Obruet hostiles ista ruina domos.

DE ANDROMACHA ET ASTYANACTE F.

F. SABAEI.

HEctoreos cineres metuens ne spargat Vlysses:
Euocat è latebris Astyanacta parens.
Andromacha infelix (dicens) spes altera Troiæ,
Parue puer: Danais iam metuende, veni.
Solue metus, patri, quàm formidatur & in te,
Dicito, tractus adhuc, & tumulatus adhuc.

EIVSDEM.

Hectoris Andromacham pellax vrgebat Vlysses,
Eripere occultis Astyanacta dolis.

Illa an-

Illa autem lacrymans, natum, tunc funus acerbum
Causatur: scelerum dux negat hoc, & ait:
Deciperis mulier, credens te fallere Vlyssem:
Qui solitus matres decipere, immò Deas.

EIVSDEM.

Nil superesse videns ex Astyanacte: cadendo
Tinxit hic omne solum sanguine; mater ait:
Non opus est tumulo, & titulo tibi, nate: cruentum
Dum scribis titulum, tunc facis & tumulum.

DE POLYXENA.



FAVSTI SABAEI.

ILiaca Aeacidæ ante rogum sacra hostia virgo,
Constitit in trepido pectore nuda, & ait:

Pyrrhe, feri innocuum pectus: patremq́; cruore
Pasce meo: postquàm sub Phlegethonte sitit.
Ipsa libens morior: seruans illæsa pudorem:
Quo nisi seruato, non mihi grata forem.
Et ferrum excipiens, caderet ne turpe, timebat:
Tanta, & in extremo, cura pudoris erat.

EIVSDEM.

Perplacui Aeacidæ, patris comes, Hectora ementis:
Continuitq́; manus impatienter amans:
Cui me despondet genitor: sed inermis Achilles,
Ad tædas veniens, concidit insidijs.
Troades è templo aufugiunt: Agamemnona adiui:
Supra & amatorem stansq́;, gemensq́; loquor.
Suscipe, sponse, tuam sponsam: venio ecce sub vmbras,
Dixit: & ensem hausit pectore, & occubuit.

EIVSDEM.

De Hecuba & Polyxena.

Stabat amatoris mactanda Polyxena ad vrnam:
(Flens quoq́; sublato Pyrrhus, & ense minax)
Iam regina Asiæ, nunc serua miserrima, mater
Quum ventrem, & pectus nudat, & inquit anus:
Pyrrhe adige huc ferrum: peccârunt ista: malorum
Auctorem his alui, progenuiq́; Parim,

DE HECVBA ET PRIAMO.



F. SABAEI.

O Bis capte senex: meritos hos accipe questus,
Post tot natorum, qui cecidêre, gregem:
Vltima, magne pater, clausisti funera: littus
Sigaeum ipse premens, victima caesa Ioui.
Tu tamen es felix: sed quaeque extrema manent nos,
Nos mala: tecum aufers pignora, regna, domum.

EIVSDEM.

Ante aras Diuûm, natorum sanguine mersus:
Gutture ferrum hausi: littore & hoc iaceo.

Regi Asiæ terram, vel flammas iniice: insignes
Troia ruit: Priamus sed caret igne, & humo.

HIERONYMI VVOLFII.

Funera natorum spectat, Troiæq; ruinam:
Hoste caput Priamus mox rapiente perit.

DE POLYDORO.



F. SABAEI.

Parue puer; regi nec te committe, nec aurum:
Nam vitam, & tantas perdere quæris opes.
Quin fuge, spes generis, crudele, & littus auarum:
Regia non intrat limina, nuda fides.

AVR. PROPERTII.

Aurea nunc verè sunt secula: plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.
Auro pulsa fides, auro venalia iura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum:
Dum petit intonsi Pythia regna Dei:
Aut mons laurigero concussus vertice, duras
Gallica Parnaßi spargit in arma niues:
Et scelus, accepto Thracis Polymnestoris auro,
Nutrit in hospitio non Polydore pio.
Tu quoque vt auratos gereres Eriphyla lacertos:
Dilapsus nusquàm est Amphiaraus equis.



DE HECVBA IN CANEM CONVERSA.



A. SABINI.

QVam spectas, Priami coniux Hecuba, Hectoris olim
Clara parens, membris sic spoliata suis:
Latratu miseras finiuit mœsta querelas,
Et stetit in rabidam protinus acta canem.
Pergama cùm caderent bello superata bilustri:
Cum natis, caeso, sola relicta, viro.

F. SABAEI.

Hac canis est hominis bustum: namq; ipsa Dymantis,
Post Priamum, natos, Pergama latrat anus.

Et quam-

Et quamuis tumulo claudatur: percita ab ira
Infremit: & mordet se, & monumenta canis.

DE ERIPHYLA ET ALCMAEONE.

FAVSTI SABAEI.

QVando Eriphyla videt sua fata instantia: dixit
O fili, in matrem tam sceleratus eris.
Cessarant iræ, dextra pœnè excidit ensis:
Sed memor Alcmæon, Amphiaraë, tui:
Matrem ipsam excepit ferro, monstrumq́; nefandum:
Et sceleratus erat, nec sceleratus erat.

EIVSDEM.

De Amphiarao.

Amphiaraë ruens felicia fata subisti
Quum tua auara vxor perdidit vtiliter.
Hellas tota tibi sacrat, quo absumptus, hiatum:
Vaticinum subitò te facit esse Deum.
Plus Ioue, plus Phœbo crèdit tibi Græcia: mirum
Ascendisse fuit, non cecidisse, tuum.

DE AIACE LOCRENSI.

F. SABAEI.

CAssandram extraxi delubro è Palladis, Aiax:
Intacto mecum quippè pudore fuit.

Rex Danaûm subtraxit eam mihi: læsus Achiuos
Deserui: æquoreis cum rate mersus aquis.
Amisi prædam: aufugi: tùm fata subiui:
Per scopulos, fluctus, littora adhuc patior.
Numina ne lædas: cœloq; Ereboq; , mariq;
Te inuenient: vltrix dextera vbiq; Dei est.

DE AGAMEMNONE.

P. OVIDII NASONIS.

QVi matrem terris, Neptunum effugit in vndis:
Coniugis Atrides victima dira fuit.

FAVSTI SABAEI.

Ille hominum, atq; Ducum Princeps celebratus Atrides,
Post domita elatæ regna superba Asiæ:
Dum patriam repeto: me excepit adulter, & vxor
Incautum: & Veneri victima tanta cado.
Quæsieram ipse Helenam longinquo ex orbe, Parimq;:
At mea ego infelix clauseram vtrunq; domo.

Q. HORATII FLACCI.

Fabula quæ Paridis propter narratur amorem
Græcia Barbariciæ lento collisa duello:
Stultorum regum, & populorum continet æstus.
Antenor censet belli præcidere causam.
Quid Paris? vt saluus regnet, viuatq; beatus,
Cogi posse negat. Nestor componere lites
Inter Peliden festinat, & inter Atriden:
Hunc amor: ira quidem communiter vrit vtrunq;

Quicquid

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui:
Seditione, dolis, scelere, atq; libidine, & ira
Iliacos intra muros peccatur, & extra.

DE MEMNONIS AVIBVS.



F. SABAEI.

Memnonis è busto volucres, fumoq; volârunt:
Quamuis germanæ bella cruenta gerunt.
Nam pugna dominum, manes & sanguine placant:
Calleq; longinquo vulnera, fataq; emunt.
Spectatrix Aurora riget, mutatq; colorem:
Nec patitur longas tam lacrymosa moras:
Cognataq; ruunt volucres in bella quotannis:
Manè omni humectat fletibus ora parens.

DE AENEA.



P. OVIDII NASONIS.

Qvum foret Aeneæ ceruix subiecta parenti:
Dicitur ipsa viro flamma dedisse viam.

FAVSTI SABAEI.

Dardanio Aeneæ, confectum ætate parentem
Portanti; cedunt ignis, & arma pio:
Visentiq; patrem sub tristia Tartara eidem,
Dant spacium manes, terrificæq; feræ.
Dum meat, & remeat, per tanta pericula: tutus
Non duce, nonúe Deo, sed pietate fuit.

Prospectu Italiæ in primo tondere iugales
Vidit vt Aeneas gramina: tristis ait:
Bella & adhuc monstratis equi? his parcite captis:
Per vos, iam satis est, bis periisse Phryges.

M. MARVLLI.

Quum ferret medios proles Cytheræa per hostes,
Impositi collo languida membra patris:
Parcite, ait, Danai: leuis est sene gloria rapto:
At non erepto gloria patre leuis.

DE FILIABVS ANII.

FAVSTI SABAEI.

DVra lacertosi iam soluite aratra coloni:
Nec vos, nec terra est sollicitanda magis.
Natæ Anij tactu possunt producere messes:
Vini, oleiq; lacus multiplicare ab aquis.
Hæc pretiosa ætas, hæc numina vera. fuistis
Hactenus hic Diui, Bacche, Minerua, Ceres.

IN LA-

IN LAPITHAS ET CENTAVROS.



P. OVIDII NASONIS.

Foemina sæpe parit bellum: nisi rapta fuisset
Tyndaris: Europæ pax, Asiæq; foret.
Fœmina siluestres Lapithas, populumq; biformem
Turpiter apposito vertit in arma mero.
Fœmina Troianos iterum noua bella mouere
Impulit, in regno, iuste Latine, tuo,
Fœmina Romanis etiam mox vrbe recenti,
Immisit soceros, armaq; sæua dedit.

P. VER-

P. VERGILII MARONIS.

Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello:
At Lapithas bello perdis Iacche graui.

Q. HOR. FLACCI.

Nullam Vare sacra vite priùs seueris arborem
Circa mite solum Tyburis, & mœnia Catili.
Siccis omnia nam dura Deus proposuit: neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
Quis post vina grauem militiam, aut pauperiem increpet?
Quis non te potiùs Bacche pater, teq; decens Venus?
At ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata: monet Sithoniis non leuis Euius:
Quum fas, atq; nefas exiguo fine libidinum
Discernunt auidi. non ego te candide Bassareu
Inuitum quatiam: nec variis obsita frondibus,
Sub dium rapiam; sæua tene cum Berecynthio
Cornu tympana: quæ subsequitur cæcus amor sui,
Attollens vacuum plus nimio gloria verticem,
Arcaniq; fides prodiga perlucidior vitro.

IO. POSTHII.

Pirithoo celebrante nouas cum coniuge tædas:
Hippodame: rixas ebria turba mouet:
Clamatur, iuuenes trepidæ rapiuntur: & omnis
Mox vino, & fuso sanguine terra natat.

IN GA.

IN GALATEAM.



F. SABAEI.

Post querulos cantus, dulces Polyphemus amores,
Aßidua æquoreis voce canebat aquis.
Exurgens Galatea, meas dilecta medullas,
Flamma veni, si te non tenet alter amor.
Sed quis amans erit ille audax, & tutus in vndis,
Qui intercepisset gaudia nostra Deus?
Nemo, inquam, sed tu miserum me spernis amantem:
Nec tibi cura mei sic pereuntis adest.
Haec rudis insano victus repetebat amore:
Dum versat surdas turbidus Auster aquas.

EIVSDEM.

Quid me tam duram cogis deducere vitam?
Si mihi Trinacriae florea rura placent:
Si tepidum Alphei, per frigida marmora amorem:
Membraque si Cyanes miror aquosa Deae.

TIT. VESP. STROZAE.

Quid magis horrendum Polyphemo senserat Aetna?
Saeuior indomitis fratribus ille fuit.
Dum tamen aequorea siccas in rupe capillos:
Exarsit visa te, Galatea, Cyclops:
Admouitque preces blandus, studioque placendi,
Insolita rigidam pexuit arte comam.
Iam tibi poma legit, iam pastoralia cantat
Carmina: lanigeras iam tibi seruat oues.
Quem neque proposito pietas humana nefando,
Arcebat: magni cura nec vlla Iouis:
Leniit hunc blanda Veneris placidissima proles:
Quae valet aeternos sollicitare Deos.
Et telluris opes, lusus, & gaudia: in vndis
Lusus enim est nullus, gaudia nulla, & opes.
Me docuit Cypris: quam praestat terra profundo:
Quae fatuas, in aquis nata, reliquit aquas.

DE ACIDE.



FAVSTI SABAEI.

Ille tuus, Galatea, Acis, dulcissimus ardor:
Friget in egelidis irreuolutus aquis.
Adiuua amatorem: nam pressus pondere saxi,
Artubus elisis deperit, ecce puer.
Finieram. cruor albescit: tenuantur in amnem
Membra perennem: vnum en Acis, & amnis erant.

DE GLAVCO.



F. SABAEI.

DEsilit in liquidas, factus Deus æquoris, vndas
Glaucus: & ignotis exspaciatur aquis.
Non fuit Arcadia pastor, neq; Naiis in omni:
Quæ non discessum fleuerit hercle tuum.
Atq; vbi cæruleas lætum Nereides inter
Nare videt te Pan, obstupuitq; Pales:
Et tibi suspendunt calamosq;, peramq;, pedumq;:
Nunc reticent siluæ, collacrymantq; greges.

EIVSDEM.

Squamigeras gentes potuerunt gramina Glauci
Exanimes vitæ restituisse suæ.

Herba eadem mutauit herum: donauit at illi
Esse Deum: æquoreo iura tenere mari.
Cur non nota mihi est? spoliarem Tartara, inane,
Implerem, terram, sidera Dijs, & aquas.

DE PICO.



F. SABAEI.

Scylla Cupidineo percussum vulnere Picum
Spreuit amatorem, virginitatis amans.
Poscit opem iuuenis pulcer Titanida Circen:
Hæc promittit opem: dummodo ferret opem.
Spreta veneficijs immutat vtrunq; : profundo
Scylla latrat: Picus robora tundit auis.

DE SCYLLA.



FAVSTI SABAEI.

Scylla vbi conspexit sua crura latrare, femurq́;
Horruit, & timuit crura, suumq́; femur.
Monstra simul fugiens, secum fert illa, trahitq́;
Atq; canes latrant, quò magis ipsa fugit.
Odit se, & pelago mergit se, & saxea facta est:
Mersa tamen latrat, saxea facta latrat.

A. ALCIATI.

Pube tenus mulier, succincta latrantibus infra
Monstrorum catulis, Scylla biformis erat.

aputantur auarities, audacia, raptus
Scylla est, nullus cui sit in ore pudor.


B. CASTILIONEI.

ons Scyllæ præfert formosæ virginis ora:
Atq; infida procul lumina dulce micant.
Inguinibus latrant rabido centum ore molossi:
Sicca fame impasta guttura semper hiant.
Bellua parte alia (veteres dixêre Charybdin)
Sublatum pelago fert truculenta caput:
Quæ miseras auido puppes absorbet hiatu:
Tantum illi barathrum, & gutturis antra patent.

B. ANVLI.

Splendida si nequeat laus, aut fortuna parari;
Inuidiæ sine latratu, morsuq; canino:
Inuidiæ potius subeunda pericula tristis,
Quàm miseræ vitæ. Scyllam ergo finxit Homerus,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris,
Dulichias vexasse rates; & gurgite vasto,
Ah miseros nautas canibus lacerasse marinis.
Inuidia obtrectans monstris est Scylla caninis:
Funditus at mergens paupertas, vasta Charybdis.
Incidat in Scyllam, qui vult vitare Charybdin.
Allatrat liuor mendax, absorbet egestas:
Ex vtroq; malo, minus elige. Qui sapit, optat
Inuidiosus sic mage, quàm miserabilis esse

DE ERRORIBVS VLYSSIS.



AVR. PROPERTII.

PEnelope dum casta domi sedet vxor Vlyßis:
Heu quot huic longæ tunc nocuêre moræ.
Casta decem annorum, Ciconum mons, Ismara, Calpe:
Exustaq; tua mox Polypheme genæ:
Et Circæ fraudes, lotosq;, herbæq; tenaces:
Scyllaq;, & alternas scissa Charybdis aquas:
Lampeties Ithacis verubus mugisse iuuencos:
Pauerat hos Phœbo filia Lampetie.
Et thalamum Ææa flentis fugisse puellæ:
Totq; hyemis noctes, totq; natasse dies.
Nigrantesq; domos animarum intrasse silentûm:
Sirenum surdo remige adisse latus:

Et veteres arcus letho, renouasse procorum:
Errorisq; sui sic statuisse modum.

Q. HOR. FLACCI.

Ardua quid virtus, & quid sapientia possit:
Vtile proposuit exemplar Homerus Vlyssem.
Qui domitor Troiæ, multorum prouidus vrbes,
Et mores hominum inspexit, latumq; per æquor.
Dum sibi, dum socijs reditum parat, aspera multa
Pertulit; aduersis rerum insuperabilis vndis.

DE CIRCE ET VLYSSE.



F. SABAEI.

QVanta erat in Circe vis carminis, aspice: & audi
In monstra informes exululare viros.

Quàm

Quàm melius iam vincla pati, & præsepia Vlyssem:
Quàm cadere, & nati conscelerare manus.

IO. POSTHII.

In turpes abiêre sues, quicunq; biberunt
Dulcia Circææ pocula sumpta manu.
Nempe sues fœdos imitantur moribus omnes:
Quos gula, quos Bacchus, quosq; libido iuuat.

NICOLAI REVSNERI.

Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Dum longas Ithacus, itq;, reditq; vias:
Sirenum voces, & Circes regna reliquit:
Blanda nec Atlantis tunc remoratur iter.
At socijs Circe dum pocula fœda ministrat:
Excors, & turpis sus fit hic, ille canis.

Q. HOR. FLACCI.

Sirenum voces, & Circes pocula nosti:
Quæ si cum socijs stultus, cupidusq; bibisset:
Sub domina meretrice fuisset turpis, & excors:
Vixisset canis immundus, vel amica luto Sus.

A. ALCIATI.

Sole sata Circes tam magna potentia fertur:
Verterit vt multos in noua monstra viros.
Testis equûm domitor Picus, tum Scylla biformis:
Atq; Ithaci, postquam vina bibêre, sues.
Indicat illustri meretricem nomine Circe:
Et rationem animi perdere quisquis amat.

DE VENERE ET DIOMEDE.



F. SABAEI.

VErterat in volucres, socios Diomedis: & ipsum
Expulerat patria, vulnere læsa, Venus.
Debebat peiora pati: nam læserat ense
Oenides Cyprim, Pallada Palladio.

DE CANTV SIRENVM.



P. OVIDII NASONIS.

Monstra maris Sirenes erant: quæ voce canora
Quaslibet admissas detinuêre rates,
His sua Sisyphides auditis pœnè resoluit
Corpora: nam socijs illita cera fuit.

P. VERG. MARONIS.

Sirenes varios cantus, Acheloia proles,
Et solitæ miseros ore ciere modos.
Illarum voces, illarum Musa mouebat
Omnia, quæ Thimele carmina dulcis amat.
Quod tuba, quod litui, quod cornua rauca queruntur:
Quodq; foraminibus tibia mille sonat:

Quodq;

Quodq; leues calami, quod cantat suauis Aëdon:
Quod lyra, quod citharæ, quod moribundus olor:
Illectos nautas dulci modulamine vocis,
Mergebant auidæ fluctibus Ionijs.
Sanguine Sisyphio generatus, magnus Vlysses:
Hac tutos sola præstitit arte suos;
Illeuit cera sociorum callidus aures:
Atq; suas vinclis præbuit ipse manus.
Transilijt scopulos, & inhospita littora classis:
Illæ præcipites desiluêre freto.
Sic blandas vocisq; notas, & carmina vicit:
Sic eadem exitio monstra canora dedit.

CL. CLAVDIANI.

Dulce malum pelago Siren, volucresq; puellæ
Scyllæos inter fremitus, auidamq; Charybdim:
Musica saxa fretis, habitabant dulcia monstra,
Blanda pericla maris: terror quoq; gratus in vndis:
Delatis licet huc incumberet aura carinis:
Implessentq; sinus venti de puppe ferentes:
Sistebat vox vna ratem: nec tendere certum
Delectabat iter: reditus, ociumq; iuuabat:
Nec dolor vllus erat: mortem dabat ipsa voluptas.

AND. ALCIATI.

Absq; alis volucres, & cruribus absq; puellas,
Rostro absq; & pisces, qui tamen ore canunt.
Quis putet esse vllos? iungi hæc natura negauit:
Sirenes fieri sed potuisse docent.
Illicitum est mulier, quæ in piscem desinit atrum:
Plurima quod secum monstra libido vehit.

Aspectu, verbis, animi candore trahuntur
Parthenope, Ligia, Leucosiaq́ viri.
Has Musæ explumant, has atq́ illudit Vlysses:
Scilicet est doctis cum meretrice nihil.

F. SABAEI.

Oßibus albentes scopulos, pendentiaq́ ora
Tetra hominum, ante fores, & spolia ampla Deûm:
Fluctibus inuolui, & miseranda cadauera ponti:
Sirenum & cantu bella agitare simul:
Vidit, & vt sensit tam dulcia funera Vlysses:
Cera aures implet: brachia fune ligat.

DE SIBYLLA CVMAEA.



FAVSTI SABAEI.

Illius est tumulus, quæ Phœbi lusit amorem:
Et potitur voto, non Deus ipse, suo.

Innumeras

Innumeras Cumæa tamen finiuit arenas:
Nec mage nota Deo, nec sibi facta vetus.
Extenuata omnis, facta & vox; clauditur ista
Vrna, & non vrna, non vacua, & vacua.

DE POLYPHEMO.



A. ALCIATI.

DVm residet Cyclops sinuosi in faucibus antri:
Hæc secum teneras concinit inter oues.
Pascite vos herbas: socijs ego pascar Achiuis:
Postremumq; Vtin viscera nostra ferent.
Audijt hac Ithacus: Cyclopaq; lumine cassum
Reddidit: en pœnas vt suus auctor habet.

IOAN.

IOAN. POSTHII.


Affigens hominum trepidantia corpora saxis:
Ore Cyclops auido, ceu lea saeua, vorat.
Sunt tales, quotquot miserorum sanguine gaudent:
Cumq; suo temnunt, astra, polumq; Deo.

FAVSTI SABAEI.

DE Vlysse.

Vrbis ego solus Troianae euersor Vlysses:
Cuius mirator diues Homerus erat.
Qui Circen euasi, Sirenes, fulcra Calypsus:
Antraq; Cyclopis, Nausicaae & laqueos:
Quid prodest terrae superasse pericla, marisq;?
A nato, inq; domo saucius occubui.

DE AP-



DE APPVLO.



IO. POSTHII.

APpulus immeritis dicit conuicia Nymphis:
Dum faciles agitant prata per vda choros:
Se videt ergo nouis oleastrum surgere ramis:
Iamq; notam linguæ fructus amarus habet.

DE NAVIBVS AENEAE IN NYMPHAS MVTATIS.



ALB. TIBVLLI.

IMpiger Aenea, volitantis frater Amoris:
Troica qui profugis ſacra vehis ratibus:
Iam tibi Laurentes aßignat Iuppiter agros:
Iam vocat errantes hoſpita terra lares.
Illîc ſanctus eris: cùm te veneranda Numici
Vnda Deum cœlo miſerit indigetem.
Ecce ſuper feſſas volitat victoria puppes:
Tandem ad Troianos diua ſuperba venit.

Frustrà Turne paras Idæis nauibus ignem:
Iam iam prospicies has maris esse Deas.
Iliacas tanti in Latium venisse ruinas:
Tanti erat & fessos hîc requiesse Deos.
Vnde vrbes, portus, montes, caput orbis & orta est
Roma: tot & Diui, Nereïdumq; chori.

EIVSDEM.

Dicite vos Nymphæ summis in montibus ortæ:
Quomodo nunc colitis, quas timuistis aquas?
Nos Veneris iussu, Cybeles vitauimus ignem:
Aeneam æquoreis nos quoq; adimus aquis.

DE TVRNO.

FAVSTI SABAEI.

ET tu Turne iaces, iuuenum pulcerrime: Achilles
Alter in Ausonia, sanguis & ipse Deûm.
Qui quia turbasti pacem, quia fata Deorum:
Aeneæ manibus concidis ante diem.
Te deplorarunt Iuturna, Iunilia, Iuno:
Felix, qui cogis sic lacrymare Deas.

DE AENEA

DE AENEA INDIGETE DEO.



ANchisæ, & Veneris proles æterna; Deorum
Emeruit, duplici iam pietate, domos.
Vna fuit, patrem medijs ex hostibus: vna
Ignibus ex medijs eripuisse Deos.
Cœlum habitat meritò: qui heroibus astra, triumphis
Qui terram impleuit, Cæsaribusq; polos.

EIVSDEM.

De Aenea & Hectore.

Mens erat Aeneas Teucrorum: dextera & Hector:
Hostium vterq; metus: tempore vterq; pari:

Et virtute pares: multùm sed dispare fato;
Concidit hic ferro, mergitur hic fluuio.

DE VERTVMNO.



AVR. PROPERTII.

QVid mirare meas tot in vno corpore formas?
Vertumnus verso dicor ab amne Deus.
Opportuna mea est cunctis natura figuris:
In quamcunq; voles, verte, decorus ero.

HIERONYMI VLPII.

Vertitur in lapidem, hoc si credis viuere numen:
Si lapidem esse putas, numina viua vides.
Vnde hoc? Vertumnus latitat sub marmore, suetus
Lumina mutatis fallere imaginibus.

DE IPHI ET ANAXARETE.



IPhis Anaxareten quum non flexisset amando:
Postibus illius triste pependit onus.
Mota nec, exanimum hunc cernens, vbi conditur vrna hic,
Quid valet experta est, spretus, & acer amor.
Nam quæ duritia vincebat robora: mansit
Dura silex, duro pectore Anaxarete.

IOAN. SECVNDI.

Iphis Anaxaretes factum puer vltus amarum:
Flebile compressa fauce pependit onus.

DE IANO.



F. SABAEI.

TV, qui aperis, claudisq; diem gemino optime vultu:
Ante tuos oculos, & tua terga videns.
Iane reuertentes profer feliciter annos:
Igniuomos solus tu moderaris equos.
Sic manibus sceptrum tibi, & vsque corona nitescant,
Aureum in auratis; aurea & auricomo.

A. ALCIATI.

Iane bifrons, qui iam transacta, futuraq; calles:
Quiq; retrò sannas, sicut & antè, vides:
Te tot cur oculis, cur fingunt vultibus? an quod
Circumspectum hominem forma fuisse docet?

DE RO-

DE ROMVLO.



FAVSTI SABAEI.

PRoiectus, pastusq́; feris, nothus, exul, inopsq́;:
Matri, & auo lucem, regnaq́; adempta dedi.
Vrbem constitui: victos in regna recepi:
Postq́; datas leges, & pia iura abij:
In cœlum rediens: nec enim qui condidit vrbem,
Credere mortalem fas fuit esse Deum.

EIVSDEM.

Martia progenies, quæ montibus excitat vrbem:
Ciuibus & ditat, connubia atq́; rapit:


Tutaturq́;

Tutaturq; armis: patribus dat iura vocatis:
Iam repetit cœlum: post data templa Ioui.
De nihilo imperium vt strueres: te hac Romule causa
Gignit, alit, seruat, Mars, lupa, Tybris aqua.

Q. HOR. FLACCI.

Romulus, & Liber pater, & cum Castore Pollux
Post ingentia facta, Deorum in templa recepti:
Dum terras, hominumq; colunt genus: aspera bella
Componunt: agros adsignant: oppida condunt:
Plorauêre suis non respondere fauorem
Speratum meritis. Diram qui contudit hydram,
Notaq; fatali portenta labore subegit:
Comperit inuidiam supremo fine domari.
Vrit enim fulgore suo qui prægrauat artes
Infra se positas: exstinctus amabitur idem.

DE HER-



DE HERSILIA.



NICOLAI REVSNERI.

ROmulus, Hersilia, cœlisubit astra, relicta
Coniuge: quæ carum fletq́, gemitq́, virum.
Quam Iuno miserata, per Irim, ducit Olympo:
Coniugis hic, sed nunc conspicit ora Dei.
Excipit æthereasibi iunctam sede Quirinus:
Cum forma nomen mutat, Oramq́, vocat.
Sancta fides thalami, superat sic tempora vitæ:
Quæ benè vincta semel numine teste fuit.

DE PYTHAGORA.

FAVSTI SABAEI.

Ciuibus ornatam, largis opibusq́ Crotonem
E patria accessit Pythagoras Samius.
Tam virtute sua, quàm sanctis moribus auxit:
Vt, post fata, viro sit sua facta domus.
Delubrum Cereris: sub quo celebratur vterq́:
Sub Cerere hic Samius, sub Samio ipsa Ceres.

AND. NAVGERII.

Quem toties vixisse, anima redeunte renatum,
Mutato fama est corpore Pythagoram:
Cerne iterum, vt docti cœlo generatus Asylæ
Viuat; & antiquum seruet in ore decus.
Dignum aliquid certè voluit: sic fronte seuera est:
Sic in se magno pectore totus abit.
Posset & ille altos animi depromere sensus:
Sed veteri obstrictus relligione, silet.

DE PHAEDRA ET NVTRICE.



F. SABAEI.

Claude fores blando, dulcissima alumna, veneno:
Quum semel intrauit corda, perennat amor.
Stat domus infamis: thalamos conscendere natam
Nam patris est monstrum: vincit & omne nefas.
Et nisi ab Hippolyti desistas Phædra furore:
Tu pendens, vitam finiet ille cadens.

EIVSDEM.

Este preces, cordis nostri este incendia testes:
Fata nouercari me inuidiosa trahunt.

Quid fatum incuso? ferus est priuignus: amoris
Iam, sed nunc tanti causa furoris erit.
Sentiat hic, postquam me spreuit, & odit amantem:
Quid generosa, & amans spreta nouerca potest.

EIVSDEM.

Per deserta sequi, per summa pericula postquàm
Fas haud, nec corpus iungere nate tibi:
Te sequor ad stygios melior nunc Phædra recessus:
Iungam animam quò animæ, dixit: & occubuit.

EIVSDEM.

Et si amat, vsq; tamen priuigno est sæua nouerca;
Exemplum Phædra est, castus & Hippolytus.

DE HIPPOLYTO.



P. OVIDII NASONIS.

Notus amor Phædræ: nota est iniuria Thesei:
Deuouit natum credulus ille suum.
Solliciti terrentur equi: frustraq; retenti:
Per scopulos dominum duraq; saxa trahunt.
Exciderat curru: lorisq; morantibus artus
Hippolytus lacero corpore raptus erat:
Reddideratq; animam, multùm indignante Diana:
Nulla, Coronides, causa doloris, ait.
Namq; pio iuueni vitam sine vulnere reddam:
Et cedent arti tristia fata meæ.
Gramina continuò loculis depromit eburnis:
Profuerant Glauci manibus illa prius:
Tunc quum obseruatas augur descendit in herbas;
Vsus & auxilio est anguis ab angue dato.
Pectora ter tetigit, ter verba salubria dixit:
Depositum terra sustulit ille caput.
Lucus eum, nemorisq; sui Dictynna recessu
Celat: Aricino est Virbius ille lacu.

F. SABAEI.

Virbius à longè spectans venisse iugales:
Perniciosi iterum quò properatis? ait.
Lucus hic Aegeriæ: procul hinc discedite: tanquàm
Et Diomedis equi, Pothniates & equæ.

DE AEGERIA NYMPHA.

F. SABAEI.

Pone tuas lacrymas: nec enim Numa fletibus vllis;
Nec prece, Lethæo tollet ab amne caput.
Nec finem faciebat adhuc pia Nympha dolori:
Quum versa in tristes est Dea fontis aquas.
Prospice; si Aegeria exarsit iam corde maritum:
Murmure adhuc viuo mortua quum lacrymet.

EIVSDEM.

Hos latices tepidos fugias, sitibunde viator;
Nam quas reris aquas, esse puta lacrymas:
Non liquor iste sitim exstinguit: sed suscitat vltrà:
Ignis hic Aegeriæ est, luctus & Aegeriæ.

P. OVIDII NASONIS.

Aegeria est, quæ præbet aquas, Dea grata Camœnis:
Illa Numæ coniux, consiliumq; fuit:
Quà latet Hippolytus, furijs direptus equorum:
Vnde nemus nullis illud aditur equis.

DE AESCVLAPIO.



AND. ALCIATI.

PHœbigena erectis Epidaurius insidet aris:
Mitis & immani conditur angue Deus.
Accurrunt ægri, veniatq́; salutifer optant:
Annuit, atq; ratas efficit ille preces.

P. OVIDII NASONIS.

Accepit Phœbo, Nymphaq́; Coronide natum
Insula, diuidua quam premit amnis aqua.
Iuppiter in parte est: cepit locus vnus vtrunq;:
Iunctaq́; sunt magno templa nepotis auo.

AVR. PROPERTII.

Tarda Philoctetæ sanauit crura Machaon:
Phœnicis Chiron lumina Phillyrides.
Et Deus extinctum Cressis Epidaurius herbis,
Restituit patrijs Androgeona focis.
Mysus & Hæmoniæ iuuenis, qua cuspide vulnus
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.
Omnes humanos sanat medicina dolores:
Solus amor morbi non amat artificem.

DE CAIO IVLIO CAESARE.



FAVSTI SABAEI.

QVantus eras etiam confosso pectore, tantis
Vulneribus: monstras maxime vbiq; pater.

Nam


Nam moriens Cæsar, caderes ne turpe: remittis
Ex humeris vestem, quæ tegat ima pedum.
Non dolor ille ingens, supremaq́ linea rerum
Mors: sed te mouit Diue decoris amor.
Non sic mortales abeunt è corpore: sed Dij
Orbe pererrato taliter astra petunt.

EIVSDEM.

Inculpatus homo cum Dijs commercia tractat:
Et verbo regum territat imperium.
Huic volucres parent, pisces, animalia, & auræ:
Hic Phœbum, & Phœben sistere & astra potest.
Exanimata animans: cœlum, atq; Acheronta pererrans:
Mirus & existens, maxima mira facit.
Et demum exuuijs positis mortalibus: astrum
Cernimus, & natum hunc immò Dei, immò Deum.

F I N I S.

SVPPLE-



SVPPLEMENTVM AGALMATVM, SIVE EMBLEMATVM OVIDIANORVM.

DE TRITONE.



IO. SCHOSSERI AEMILIANI.

Qvum peterent bello cœlestia regna Gigantes:
Multus & ætherio terror in axe foret:
Cæruleus Triton spirasse per æquora concha
Dicitur, & raucos continuasse sonos.

Diffugêre

Diffugêre procul trepida formidine cuncti:
Nec sonitum tantæ sustinuêre tubæ.
Quosq́ repentini non fulminis ira peremit:
Ceu scopuli, pauido diriguêre metu.

ERDMANNI COPERNICI.

Pegasus in cœlis, in terris carmina Perseus,
In pelago Triton non moritura canit.

IN LYCAONEM.

N. REVSNERI LEORINI.

CAede nocens rex, & ridens pia vota Lycaon,
Fit lupus: vrsa polo filia facta nitet.

DE INACHO.

NICOLAI REVSNERI.

CLara Iouis soboles: gentis pater Inachus olim
Argiuæ: fluuio nomina clara dedit.

IN ARGVM.

IO. SAMBVCI PANNONII.

QVamuis centum oculos habeas, totidemq́ ministros:
A specie veri fallimur: arsq́ capit.
Quàm vigil est Argus? sepelitur carmine blando:
Callidus ingreditur pectora Mercurius.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat:
Sopitus tamen hic nil videt arte vigil.

DE PHAETHONTE.

IO. IOVIANI PONTANI.

AMbustum Phaëthonta rotis solaribus, auræ
Exceptum fluuijs destituêre vadis.
Suscipit Eridanus, fotumq́; liquentibus vndis,
Solatur, densis clausus arundinibus.
Parce precor Phaëthon lacrymis: tua vulnera sensit
Saturnus, summi pulsus ab arce poli.
Cuiq́; suis stant fata locis: mihi voluitur amnis:
Amnis inexhaustis non rediturus aquis.
Terra tibi est genitrix: cœlum tamen inde petisti;
Ipse docet casus, quid ferat hora sequens.
Expertus patrium decus, ingratusq́; parenti
Cede polo: & tenebris, quà potes vsq́;, late.
Tutiùs in paruo viues lare: sors mihi in amne est:
Et tamen à nimbis sic pluuijsq́; petor.
Optasti currus patrios: excussus ab illis,
Vix nostris tutus sedibus hospes ades.
Qui ruit ex alto, præceps ruit: ima ruina
Nulla est: è summo qui cadit, ille cadit.
Te casus, te flamma docent, quid iure timendum:
Auxilium nostris qui petis vstus aquis.
Hospitio læti accipimus; dabiturq́;, quod optas:
Quicquid opis nostræ est, sub tua vota venit.

Talibus

Talibus Eridanus: gemitus hîc sustulit heros:
Oraq; flumineo torrida rore lauat.

DE CLYMENE.

IO. STIGELII.

OMnia sunt mortis subiecta potentibus armis:
Nec curat madidas mors violenta genas.
Quid lacrymae extincto Cysseidos Hectore prosunt:
Qua cessit moriens, non redit ille, via.
Fleuit ob amissos Niobe Semeleia natos:
Nec mouit vultus, Phaebe seuere, tuos.
Assiduis repetit Clymene Phaëthonta querelis:
Excidit è patrijs non minùs ille iugis.
Dum nimis in lacrymas Hiere sua pectora soluit:
Nota repentinis nomina fecit agris.
Qui semel Elysij loca sub liuentia campi
Labitur: ad superas non redit ille plagas.

DE TIRESIA.

P. FRANCISCI SPINVLAE.

OBsequium plures peperit mihi semper amicos:
Vera, odium: placeant haec tamen vsq; magis.
Tiresias oculos amisit vera locutus,
Vt scis: pro vero sit mihi dulce mori.

DE CADMO.

N. REVSNERI.

CAdmus Agenorides, soceri cui Marsq́; , Venusq́;
Martia Phœbea mœnia sorte locat.

P. OVIDII NASONIS.

Liquit Agenorides Sidonia mœnia Cadmus:
Poneret vt muros in meliore loco.

D. BOHVSLAI HASSESTEINII.

Qui cœlum, pelagiq́; cupit, terræq́; meatus
Noscere: Cadmæas diligat ille notas.

DE PYRAMO ET THISBE.

IO. STIGELII.

ERgo quibus lacrymis, quibus impia fata querelis
Execrer, hîc auidas non tenuisse manus?
Ah duo concordi sanctißima pectora nexu:
Ah plus quàm sancta pectora iuncta fide.
Illum ego vel Scylla, dura aut latrante Charybdi,
Vel natum medijs Syrtibus esse putem:
Qui relegat vestros, animi securus, amores:
Et reputet siccis fata seuera genis.
Fœlices animæ, seu vos lux ardua cœli,
Seu fouet Elysij campus amœnus agri.
Perpetuò maneat vobis mens vna sub æuo:
Perstet & æterno fœdere vester amor.

Dum Venus, & volucer regnabit in orbe Cupido:
Vestra dolens omnis funera flebit amor.
Intereà hoc aliquo signemus carmine bustum:
Sub quo fingamus corpora vestra tegi.
Pyramus, & Thisbe tumulo conduntur in vno:
Qui duo corporibus, mentibus vnus erant.

DE VENERE.

IO. SAMBVCI.

Sunt bilis atræ flamina,
Quæ nos cient Venerem, sed in breuißimam.
Sic bulla gignit Cypridem:
Breuis est enim Cupidinis suauitas.
Vel salsa, quòd salacia,
Vel quòd venustum, ac elegans salsum vocant.

DE BACCHO.

CAEL. CALCAGNINI.

ARdentis Semeles audens puer excidit aluo:
Ardebatq́; vno mater, & ille rogo.
Et spes nulla super miseræ succurrere matri:
At puer in flammis non tamen vstus erat.
Ogygis occurrit: sed non priùs attigit illum:
Succubuit multa quàm Iouis ignis aqua.
Ignis abit, sed non abijt vis ignea prorsus:
Quiq́; cuti summæ parcit, in ima furit.

Nympha igitur procul, ô puerum ne tangito, clamat,
Quisquis es: ignis hic est, ni priùs imbre laues:

EIVSDEM.

Igniuomo Bachus saliens è flumine: nymphis
Abluitur liquidis puluerulentus aquis.

DE MARTE ET VENERE.

QVum Phœbus Venerem furtim cum Marte iacentem,
Iußisset tacita proditor arte capi:
Setibus implicitos spectabant vndiq; Diui,
Quum sic est fratri mœsta minata Venus:
Crede mihi, hoc animo nunquàm patiemur inulto:
Sis Deus hoc quamuis tempore pastor eris.

EIVSDEM.

Impius obscœna vinctus cum Cypride Mauors,
Accendit fœdas ad scelus omne faces.

PETRI BEMBI.

Mulciber æternos Venerem tenuisset in annos;
Vsa minùs duro si foret illa viro.

DE AMORIBVS DEORVM.

PETRI BEMBI.

Dicite, cur nostros, Nymphæ, fugiatis amores?
Quid Faunus, quo sic despiciatur, habet?
Cornua si mihi sunt; sunt & sua cornua Baccho:
Inq; sinus vocat hunc Cressa puella suos.
Ignea si frons est; an non frons ignea Phœbo est?
Hoc tamen est Clymene facta parente parens.
Barba riget suffusa genis; dedit improba sæpe
Oscula barbato Deianira viro.
Intonso, densoq; tegor præcordia villo:
Nil ideò Marti est Ilia questa suo.
Capripedem arguitis, quid claudo turpius? at tu
Nupsisti claudo, Cypria pulcra, Deo.
Deniq; si qua meæ pars est non bella figuræ:
Exemplum à Cœlo, quod capiatis, habet.
Sed vos nimirum mortalia facta secutæ:
(Omnis quando auro conciliatur amor)
Pastorum, & pecoris tenui custode relicto:
Quæritis à magnis munera magna Dijs.

IO. STIGELII.

Si vitium est, quod amo; faciles ignoscite Diui:
Quorum etiam victor pectora fregit amor.
Paruit huic vitio summi moderator Olympi:
Non frustrà dictus, Bos, Ouis, Imber, Olor.
Induit hic varias mutato corpore formas:
Vt posset placido lætus amore frui.

Sæpe

Sæpe etiam gelidis flammas Neptunus in vndis
Repperit: & sæuo captus amore fuit:
Vtq; frui posset Macareidos Assis amore:
Sustinuit viles pascere Phœbus oues.
Ipsa etiam populis Dea quæ dispensat amores:
Sæpe dolis proprijs saucia facta fuit.
Sæpe pedes claudi fertur risisse mariti:
Martis & armatas antetulisse manus.
Huic coniuncta dolis furtim deprensa mariti:
In toto cœlo fabula spreta fuit.
Quæ voluit flammas, Veneremq; exosa videri:
Non semel est vetito Iuno reperta toro.
Sic ego fallaci succumbere cogor amori:
Omnia qui vincit, me quoq; vicit amor.

IO. BAP. PIGNAE.

Cœlitum regem Ganymedis ardor
Torruit quondam Phrygijs in aruis:
Cynthium candens Hyacinthus vssit
Lumine sæuo:
Igne Syluanus Cyparisson ardens
Arsit ardenti: puerumq; raptum
Magnus Alcides domitor ferarum
Sæpe vocauit.

DE MARTE ET IVNONE.

IO. STIGELII.

Corripuit Martem sæuis Saturnia dictis:
Quòd nimio Veneris captus amore foret:

Turpe Deo est, dixit, curis infamibus vri:
Officij memorem te decet esse tui.
Cui Deus: ista tuo, mater, da iura marito:
Non ego sum serpens, bos, ouis, imber, auis.

DE IOVE ET DANAE.

D. BOHVSLAI HASSESTEINII.

INclusam Danaën seruabat ahenea turris:
Idæo tamen est de Ioue facta parens.

N. REVSNERI.

Acrisius Danaën clausam tenet: ilicet aurò
Concipit hæc pluuio Persea, patre Ioue.

DE PERSEO.

N. REVSNERI.

LIberat Andromedam: caput amputat ense Medusæ:
Ingenio Perseus strenuus, atq; manu.

IO. SAMBVCI.

Perseus Gorgonis abscidisse fertur
Palladis clypeo caput tremendum:
Equo & præcipiti procul tulisse
Qui se delicijs libidinosis
Dicarunt: gelidi rigent sopore:
Membra & humidiora pituita

Facta,

Facta, pòst studijs parùm Mineruæ
Sunt apti, ac remorantur aptiores.
Hæc tu subsidio fauentis almæ
Vinces Palladis anxiò, & labore:
Doctrinamq́; plagas feret per omnes:
Et sparget decus eruditionis
Latè alatus equus: vehet perenne
Fama nomen & orbe, posterisq́;.

DE PLVTONE ET PROSERPINA.

M. ANT. FLAMINII.

TEmpore quo magnæ Cereris pulcerrima natà
Ad nigras Erebi candida venit aquas:
Illa quidem caris nymphis comitata legebat
Purpureos flores saltibus Enna tuis:
Iamq́; parans in lucidulo se fonte lauare,
Traxerat è niueo mollia vincla pede:
Quum pauidam, & matrem queribunda voce vacantem,
Abstulit infernis luridus Orcus equis.
Nec veritus natam Iouis est violare supremi:
Tantùm forma potest, & violentus amor.

DE CYANE.

TIT. VESP. STROZAE.

PErsephonem Cyane dominam dum luget ademptam:
Sicelidem subito fonte rigauit humum.

IN FVRIAS.

P. FRANCISCI SPINVLAE.

IN nobis odium crudele Megæra vocatur:
A lecto est colubris irrequieta suis:
Perficit hæc cædes, illa incitat: hincq́ nocentes
Tisiphone tædis vltio cædis agit.

IN CERBERVM.

P. FRANCISCI SPINVLAE.

QVæ fuit Epiri Proserpina filia regis:
Tres huic Germani, cura fidelis, erant:
Concordes vno famuli de corpore nati:
Si nescis, fuit hic Cerberus ille triceps.

DE POENIS INFERORVM.

HERCVLIS STROZAE.

QVis facilè in summo frenum sibi ponit honore?
Affectusq́ etiam temperat igne malos?
Sic nos ambitio, sic nos sitis vrget habendi:
Sic grauis insani pectoris ardor agit:
Hæc sunt anguiferæ cruciantis Erynnies Orci:
Tantaliusq́ liquor, Sisyphiusq́ lapis:
Hæc né aliud, quàm vultur edax? fibræq́ renatæ?
Cumq́ Ixionia dolia cassa rota?
Cerberus, harpyiæq́ & Gorgones, hydraq́ vanis
Infantum moueant pectora imaginibus.

DE VELLERE AVREO.

NICOLAI REVSNERI.

ABstulit auratum vellus Pagasæus Iason:
Cum socijs Argo qui naue vectus erat.

LVDOVICI AREOSTI.

O pubis iuuenes robora Thessalæ;
Perculsi toties, qui pelagi minis
Pellem auertere Colchis
Auratam capitis tamen.
Olim pollicita est Pallas, & innuba
Vobis, veliuolam quum daret æquori
Pinum, quam sub opaci
Flexit vertice Pelij:
Cur non lecta manus fortiter occupat
Portus Phasiacos: dum Boreæ silet
Vestris sæpe sinistri
Votis spiritus impotens?
En vobis spolium tempus apiscier
Famosæ pecudis limina: quod diu
Seruauêre dracones,
Martisq; igniuomi boues.
Insomnes etenim destituit vigil
Serpens excubias: vt fera belluis
Olim infensa marinis,
Pòst terrestribus aspera:
Et nunc vipereas in latebras ruens
Illum sanguineis anguibus vndique
Pressum turbat, & ore,
Semper cædibus oblito.

DE MEDEA.

D. BOHVSLAI HASSESTEINII.

INstantes fugiunt, fugientes sæpe puellæ
Sectantur: facit hoc trux crocodilus idem.
Colchida sic postquàm abduxit Pagasæus Iason:
Creuerunt ignes, Hypsipylæa, tui.
Maiori Oenone Paridis flagrauit amore:
Tyndaridem Phrygiæ quum rapuêre rates.
Multa dies affert: labor improbus omnia vincit:
Et sunt humanis peruia cuncta dolis.

IOAN. SAMBVCI.

Nusquàm tuta fides: nimium ne crede quieti:
Sæpius & tutis decipiere locis.
Hippomenes pomis Schœneida vicit amatam:
Sic Peliam, natis Colchis acerba, necat.

IN MYRMIDONES.

IO. SAMBVCI.

FOrmicas homines factas dixêre Poëtæ:
Sensus inest aliquis, prouida cura mouet.
Sed sine iudicio concurrunt lege solutæ:
Et glomerat montes paruula turba suos.
Commouet has quiduis trepidas: duce rege carêntes
Ordo tenet nullus, sollicitatq; furor.
Has turbant sonitus; apibus dum rusticus aptas
Constituit sedes, alueolisq; locat.
Quum coëunt ciues sine legibus, imperiumq;
Omnibus æquale est; ius, gladiusq; silent.

Et nisi seditio vexat populum, atq; tumultus:
Præmia nulla bonis, libera pœna malis.
Vt tempestates turbo præludit arenis:
Horum conditio nobilis, atq; status.
Hos fuge, tranquillas si quæris figere sedes:
Nempe nihil firmi res popularis habet.

IN SCYLLAM NISI.

IO. SAMBVCI.

CAecus amor nunquàm ratio quid dictet honesta,
Et quid conueniat, quid noceatq́; videt:
Sed ruit, ac fertur, pronum illætabile fatum
Donec corripiat, perdat & omne genus.
Quid Niso imperium rapuit? Minoaq́; regem
Auxit? quàm natæ conscceleratus amor?
Impia quid lucri tulit? an Cretensis amore,
Tot curis tandem fessa, potita fuit?
Hostem qui patriæ fouet, atq; libidinis ergò
Omnia postponit, spretus vbiq; iacet.
Qua spe soletur metuentes proditor hostes:
Quem cuperet nunquàm se genuisse parens?

DE MINOTAVRO.

P. FRANCISCI SPINVLAE.

VT potuit Theseus extinguere monstra, viarum
Euadere errorem atque inobseruabilem,
Cæca regens, virgo vt docuit, vestigia filo,
Atque ad suos redire in vrbem patriam:

Et

Et nos iactantem si cornua Minotaurum
Cupimus ferum prosternere; & mentis malum
Effugere errorem, & cœlestia templa videre:
Astræa oportet virgo nobis consulat.
Diuinum auxilium ne temnas: herclè peribit
Qui tribuit vniuersa virtuti suæ:

DE DAEDALO, ET ICARO.

IO. SAMBVCI.

OMnibus est cautè iungenda modestia rebus:
Laudatur medio sæpe stetisse loco.
Ardua qui tentat sine pennis, decidit: alas
Quòd non aptatas, quîs veheretur, habet.
Quis non Dædaleos currus, temerariaq; ausa
Rideat? exemplo suscipiatq; minus?
Ergo quicquid agis, tuta ratione probato:
Exempliq; memor, fac tueare modum.

DE HERCVLE.

M. VAL. MARTIALIS.

AStra, polumq; dedit, quamuis obstante nouerca,
Alcidæ, Nemeæ terror, & Arcas aper:
Et castigatum Libycæ ceroma palæstræ:
Et grauis in Siculo puluere fusus Eryx:
Syluarumq; tremor, tacita qui fraude solebat,
Ducere nec rectas Cacus in antra boues.
Pro meritis cœlum tantis, Auguste, dederunt
Alcidæ citò Dij, sed tibi serò dabunt.

DE LERNAEA HYDRA.

IOAN. SAMBVCI.

Herculeis quanquàm manibus fortißima quæque
Monstra, truces domitæ atq; occubuêre feræ:
Nil tamen inuictum toties vexauit, vt hydra:
Cuius ab abscisso vertice creuit opus:
Quoque magis pestem iugulat: capita vndique collo
Aucta renascuntur, cædeq́; monstra valent.
Haud secus indignè quos iactant fata: malorum
Augescit numerus, vim cumulatq́; dies.
Vno si expediant miseri se: mille recurrunt
Damna: labore nouo pristinus estq́; minor.

DE HERCVLE ET ACHELOO.

IACOBI MICYLLI.

Alciden preßit tumidis Achelous in vndis:
Et misti, vires sensit vterque suas.
Sed pro formosa suscepta est coniuge pugna.
Traxit amatores Deianira viros.

IN ADONIM.

PET. ANGELII BARGAEI.

Extinctum Venus intuens Adonim;
Atq; hinc aureolos, & inde crines
Effuso madidos cruore, & ipsas
Carentes roseo genas honore:

En (inquit) celeres ô ite Amores:
Ite, & Idalios adite saltus:
Atque aprum trahite huc, meos qui amores,
Meas delicias Adonin, eheu
Adonin nemorum decus peremit.

DE BELLEROPHONTE.

IO. STIGELII.

AOniæ quondam ceßârant currere lymphæ:
Inuidia clausas impediente vias:
Victor ab oppressa rediens cum laude Chymæra:
Damna gemens doluit publica Bellerophon.
Nec mora, vectus equo siccas ter lustrat arenas:
Et redit obstructæ vena perennis aquæ.
Aonias feriens ictu pedis elicit vndas
Impiger audacis Bellerophontis equus.
Ingenuas sapiens princeps sic excitat artes:
Ocia dum studijs, grata fauore, facit.
Hinc decus imperijs, hinc sancta commoda pacis,
Et bona priuatis publica iuncta fluunt.

EIVSDEM.

Fertilis arboreæ longè viret area vallis:
Quà viridem veniens Sol Helicona videt:
Non huc tristis hyems, non torrida peruenit æstas:
Iucundos facilis temperat aura dies.
Calcibus inuenit sacras hîc Pegasus vndas:
Quum profugum volucer Bellerophonta tulit.
Inde fluunt dulces per amœna rosaria riui:
Sacraq; muscosis fontibus antra sonant,

Pœnè iam lucem miſer hauriebat:
Ditis impulſu ſtetit, & ſequentem
Reſpicit: retrò fugit illa venti
Ocyor alis.
Hanc Charon putri reuehit phaſelo:
At procul ripa minitans maritum
Arcet, incaſſum repetentem auari
Munera Ditis.
Scilicet leges ſuperûm refigat
Nemo: mortalis pereat, neceſſe eſt:
Vt libet, vitam pater ipſe diuûm
Donat, & aufert.

IO. SECVNDI HAGIENSIS.

Carminibus potuit torrentia ſiſtere quondam
Flumina: & arrectas ſæpe tenere feras.
Carminibus rigidas potuit deducere quercus
Orpheus, & celeres continuiſſe Notos.
Carminibus potuit durum mollire Charontem:
Applicuit ripæ protinus ille ratem.
Carminibus potuit, qui ſeruat peruigil atra
Limina, tergeminum perdomuiſſe canem.
Carminibus mulcere Hecaten, mulcere ſorores:
Siſtere & anguineæ ſibila dira comæ.
Carminibus potuit crudelem flectere regem:
Triſtiaq; inferni ſoluere iura fori.
Carminibus tandem victa omnis turba: petenti
Eurydicen vati reſtituêre ſuam.
Sed non carminibus potuit reuocare relapſam:
Nec rata Tartarei fallere pacta Dei.

At benè si cautus, quod carmine fecerat antè,
Muneribus Stygias sollicitasset anus:
Munera Plutoni, Rhadamantho dona dedisset:
Sensisset faciles in sua vota Deos.
Irrita lex fuerat, fuerat mox reddita coniux:
Et fuerat rursum lex data nulla viro,
Munera sola beant: placant homines què, Deos què:
Si nihil attuleris, ibis, Homere, foràs.

LVDOVICI MASVRII NERVII.

Postquàm serpentis lethali incauta veneno
Occidit Eurydice: diroq; vt mœstus in herba
Eurydicen Orpheus collapsam vulnere vidit:
Heu latè miseris inconsolabilis altam
Vocibus impleuit Rhodopen: & in aëra magno
Nequicquam tristes effudit amore querelas.
Hic quoque Tænariis horrentem faucibus Orcum
Ingressus: vacuas Erebi pallentis ad vmbras,
Et nigram ignoto descendit tramite noctem:
Threiciaq; gemens per inania regna profundos
Commouit cithara manes, Ditemq; tremendum:
Cerberiasq; nouis permulsit cantibus aures:
Agminaq; Eumenidum, trepidiq; Ixionis orbem:
Et fidibus rapidum tenuit Phlegethonta canoris.

AND. NAVGERII.

Pallentes vmbras, duce amore, Oeagrius Orpheus,
Tristiaq; horrendi limina regis adit:
Nec timuit, sæuaúe Hecates immania monstra:
Armatásve atris Eumenidas facibus.

DE

DE ARIONE.

IO. STIGELII.

IActatum Siculo delphinus Ariona ponto,
Tænaria vectum per freta sistit humo.
Virtuti clausum nihil est: concedite fata:
Ingenijs præsens gaudet adesse Deus.

DE AMPHIONE.

N. REVSNERI.

SAxa Cytheronis mouit Dircæa per artem
Amphion: Thebas dum struit, absque manu.

IO. SCHOSSERI.

Nobilis Amphion Thebanas condidit arces:
Dum cecinit blanda carmina docta chely.
Ac licet addictam vitijs insignibus vrbem
Struxerit, & plenas impietate domos:
Attamen illius viget inclyta gloria cantus:
Res animo cassæ quo potuêre trahi.

DE ORPHEO, AMPHIONE ET ARIONE.

IO. LAVTERBACHII.

AMphion scopulos, delphinas traxit Arion:
E densis Orpheus horrida bruta iugis.

P. MELISSI SCHEDII.

Amphion lapides, rudesq; syluas,
Vt Thebæ coalescerent struendæ,
Permouit resona lyra canendo.
Delphinos cithara feros Arion,
Balænasq; suæ fauere vitæ
Pellexit moriturus in profundo.
Et testudine blandiente caram
Orpheus Eurydicen nigris ab antris
In hasce elicuisse fertur auras.

IO. STIGELII.

Esse sacros olim veteres dixêre Poëtas:
Et vates magno dignus honore fuit.
Nam quòd agi sacro dicuntur numine vates:
Sic mouet illorum numine corda Deus:
Atq; iubet casto vitiosos flectere mores
Eloquio: & vitæ discere quod sit iter.
Sic dulci traxisse chely Rhodopeius Orpheus
Dicitur infernum, flumina, saxa, feras.
Nempe quòd agrestes homines, & saxea corda
Commouit verbis, erudijtq; pijs.
Non aliam ob caussam Thebanæ conditor vrbis
Creditus est blanda saxa mouere lyra:
Quàm quòd mortales placido sermone retraxit
A vitijs: rectam perdocuitq; viam:
Virtutemq; dedit populis, vitiumq; fugauit:
Legitimiq; dedit, iura tenenda tori.

EIVSDEM.

Flebat ob Eurydicen vates Rhodopeius Orpheus:
Continuans miserum nocte, dieq́; melos.
Mouerat hic rupes, syluasq́;, ferasq́; sequentes:
Non poterat querulo fata mouere sono.
Quum nihil efficeret: tentabimus vltima, dixit:
Fortè mihi est aliqua parte relicta salus.
Aut hanc ad superos Erebi de sede reducam:
Aut miser extremo cogar amore mori.
Quid non suadet amor? Stygias descendit ad vmbras:
Impedit inceptum nec metus vllus iter.
Quis putet? vmbrarum dominus, rex sæuus Auerni,
Iam cantu vatis flectitur, atq; prece.
Accipit, & superas Orpheus festinat in auras:
Ah res est nimij plena timoris amor.
Dum timet, horrendis ne cespitet illa sub vmbris:
Et nimis ire situ per loca senta cauet:
Respicit à tergo sociam per inane sequentem:
Ex oculis refugo labitur illa pede.
Clamat, & heu fatis iterum reuocantibus, inquit,
Auferor: æternum, care marite, vale.
Ter luctatus ibi fugientem prendere demens;
Quod caperet, tenuis nil nisi ventus erat.
Tum verò ingeminans luctum furiosus, & amens
Fertur: & in nulla sede quietus agit.
Qualis Tantalides furijs accensus Orestes:
Qualis in Aemonijs concita Thias agris:
Donec eum toties in fata, Deosq́; furentem,
Strymoniæ miserum diripuêre nurus.

Scilicet

Scilicet has ſuperis pœnas luit inclytus Orpheus:
Qui voluit vetita fata mouere prece.

DE AESACO.

IO. STIGELII.

AEſacus Eperien dum flet Cebrenida nympham:
Submerſus medijs nunc quoq; luget aquis.

DE PARIDE.

CAEL. CALCAGNINI.

IBat optata tumidus rapina
Paſtor Idæus: ſecat alta puppis,
Et replet blandis Cytherea victrix
Carbaſa ventis.
Prodeunt nymphæ virides ab antris:
Et fauet natæ Iouis omnis ordo:
Surgit, excitus ſtrepitu, à profundo
Gurgite Proteus.
Iamq; proſpectans, mala quanta ſecum
Ferret, inceſta ratis acta præda:
Fata ſic cœpit reſerare nixus
Murice viuo.
Lætus, ah lætus properas per vndas
Diſpari: nam te Pari non vocabo:
Quippe mens plerunq; hominum futuræ
Neſcia ſortis.
Quanta per campos Phrygios procella
Sæuit? ah quantos Simois cruentas

Vortices? quantis Priami renidet
Regia flammis:
Illa quæ gentes domuit rebelles:
Illa tot subnixa caput triumphis,
Nunc cinis tantùm, superestq; Troiæ
Nil nisi nomen.
Dicta enim cunctis populis dies, &
Permanet finis; vicibusq; certis
Regna stant, & regna cadunt; mouet ceu
Iuppiter vrnam.

DE IVDICIO PARIDIS.

P. FRAN. SPINVLAE.

IBant ad Paridem tres Diuæ: & forte videntes
Aduentare hominem, Cypria prima refert.
Dicite, qui sexus, venienti: fœmina Iuno;
Masculus at Pallas dixit, vtrumque Venus.
Vt propiùs veniunt: mas, an sit fœmina quærunt:
Qui postquàm dixit, Hermaphroditus ego:
Mox à iudicio metuunt Saturnia, Pallas:
Omen lætatur mox Erycina bonum.

D. BOHVSLAI HASSESTEINII.

MERC. *Ex tribus his forma victricem, munere pomi,*
Quam facies: reddet præmia digna, Pari.
IVN. *Arbitrio Paridis, mihi si victoria detur:*
Frenabit sceptro plurima regna suo.
PAL. *Iudice te, formæ tantùm sit gloria mecum,*
Præmia virtutem, me tribuente, feres.

VEN.

VEN. *Continget per me Paridi pulcerrima coniux:*
Iudicio dabitur si mihi palma tuo.
PAR. *Sic cedunt Veneri, cum flaua Pallade, Iuno:*
Vt stellæ radijs, lucide Phœbe, tuis.
Sit tibi, diua Venus, pomum; sit gloria formæ,
Sint parta arbitrio bina trophæa meo.

IO. SAMBVCI.

Priamides iuuenis, quo non præstantior alter:
Qui tenuit magni Troica regna senis:
Palladis, & Veneris formæ, Iunonis & olim
Arbiter electus, talia verba tulit:
Quamuis magna potes, Iuno, coniuxq́; sororq́;
Illius, excelsi qui iuga summa tenet:
Non tamen his moueor: curæ mihi non tua dona:
Haud referes formæ præmia digna tuæ.
Frustra tu certare paras quoque Pallas amata:
Sit licet ingenij gloria magna tui.
Namq́; Venus Cytherea placet: calor ossibus ardet:
Munera iudicio nunc feret illa meo.
Hoc igitur capias malum; quæ suauia reddis
Pectora, quæq́; potes flectere cuncta Venus.
In grauibus mihi sola dabis solatia curis:
Te nihil in tanto firmius orbe colam.

IN DIDONEM.
M. TARCH. MARVLLI.

Tu qui me, casusq́; meos in imagine parua
Aspicis; & digito tristia fata refers:

Vera hæc effigies, nec vera est, hospes, Elisæ,
Sed non vera necis causa pudendus amor.
Nec mihi Phryx nocuit: nec enim Phryga nouimus vllum:
Cura sed antiqui casta, tenaxq; tori.
Quam, ne coniugio Libyci violare tyranni
Cogerer, hac cecidi fortiter vsa manu.
At vos, ô vates, si sunt hæc præmia laudi:
Quæ feret incesti fœmina adulterij?

PET. ANGELII BARGAEI.

Quam cernis, vera est magnæ Didonis imago:
Hæc Paphiam formæ vincit honore Deam.
Talem me Tyrij quondam genuêre parentes:
Nec mea, quem credis, corda perussit amor.
Nunquàm etenim Aeneam vidi: neq; tempore eodem,
Quo cecidit Priami regia, Byrsa fuit.
Absumpsit, Libycus ne me poteretur Hyarbas,
Confectam proprio vulnere flamma rapax.
At vos impuro, Musæ, fauisse Maroni
Non pudet, & tantum sustinuisse nefas?

ACT. SYNC. SANNAZARII.

Immemor ah misera cur ensem linquis Elisæ,
Aenea? profugas non grauet illa rates.
Anne parum fuerat, causam dare mortis acerbæ;
Ni ferrum fugiens tu quoq; triste dares?
Tolle precor, gelidas tecum hoc iam tolle per vndas:
Discessu, satis est, si perit illa tuo.

DE CANTV SIRENVM.

M. VAL. MARTIALIS.

SIrenas hilarem nauigantium pœnam,
Blandasq́; mortes, gaudiumq́; crudele:
Quas nemo quondam deserebat auditas,
Fallax Vlysses dicitur reliquisse.
Non miror: illud, Caßiane, mirarer,
Si fabulantem Canium reliquisset.

IOAN. LAVTERBACHII.

Suauiter in media dulcis canit æquore Siren:
Quum vocat errantes ore sonante viros.

IO. STIGELII.

Cautus vt euitat blandas Sirenas Vlysses:
Illecebris aulæ ne capiare, caue.

M. ANT. FLAMINII.

Qui sequitur Venerem, fugit illum candida Musa:
Ah miser ille puer, quem Dea docta fugit.
Blanda Venus pueros nigrum deducit ad Orcum
Insidians: cœlo candida Musa beat.
Hac duce Sirenum cantus, & pocula Circes,
Et Veneris sæuas effuge blanditias.

DE CIRCE.

M. ANT. FLAMINII.

INcautus iuuenum mentes in monstra ferarum
Vertebat Solis filia blanditijs.

DE CHARYBDI.

P. FRAN. SPINVLAE.

OMnia quæ ponto demergit, sæua Charybdis
Est meretrix: homines, & bona cuncta vorans.
Crudele hoc fugiat monstrum, quicunque beatæ
Ad portum vitæ nauita adire cupit.

DE POLYPHEMO.

IO. SAMBVCI.

QVid Polyphemus habet? trunco vestigia firmat:
Errat balantum grex, sequiturq; ducem.
Cæcus at est custos: cui vino lumen ademptum:
Solaturq; nouum fistula rauca malum.
Nónne hæc conueniunt, nostri quîs credita cura est,
Princeps, seu pastor sit ratione carens?
Deliciæ priuant, quos cernis, luce perenni:
Suauibus ac hilares ocia rebus agunt.

IN ANAXARETEN.

P. FRAN. SPINVLAE.

QVi fuit in duro semper tibi corpore, amanti
Crassus dixit, eris, Cynthia dura, silex.
In saxum, quòd non suspensum fleuerit Iphin,
Vertit Anaxareten Cypria iusta feram.

DE HIPPOLYTO, ET AESCVLAPIO.

GREGORII BERSMANNI.

DIscerptum loris quia sanat Amazone natum:
Ascitus superis est Iouis ille nepos.

DE PYTHAGORA.

AND. NAVGERII.

QVem toties vixisse anima redeunte renatum,
Mutato fama est corpore Pythagoram;
Cerne iterum, vt docti cœlo generatus Asyla
Viuat: vt antiquum seruet in ore decus.
Dignum aliquid certè voluit; sic fronte seuera est:
Sic in se magno pectore totus abit.
Posset & ille altos animi depromere sensus:
Sed veteri obstrictus religione silet.

IVL. CAES. SCALIGERI IN HEROINAS QVASDAM OVIdianas Epigrammata.

SEMELE.

OPprobrium terra Cadmus: misera aequoris Ino:
Restabat Semele tertia flamma tibi.
Si lesisse Deos, meruit mala tanta: Deorum
At seruire Deo, sic meruisse decet?

INO.

QVæ refluis curuas relegens anfractibus oras,
Matricem fluuijs sternis aquam sub aquis;
Excipe nos, Dea magna, volens: & tetra furore
Vndarum vltrici littora tunde fuga.
Aëra Ino tenet; rabie terrestria iunxit:
Cœlum adeo, pelagus si mihi Diua negas.

NIOBE.

ASpicis, vt rigido lacrymæ de marmore sudant:
Et fauet in luctus crimine muta silex?
Hæc parit infestus dolor alta silentia: linguæ
Sed pensant oculi damna superba meæ.
Bissenis fueram thalamis visura nepotes:
Sexus vbi, & sexu sors fuit æqua mihi.
Viuidior tetricæ concessit Apollinis iræ:
Altera pars telis dira Diana tuis.
Ipse mares possit frater benè perdere: sed tu
Quas partu dederas, sæua quid ergo rapis?

ARIADNA.

DVra abitum ex patria miserum cui fata dedissent:
In patriam reditum fila dedêre mea.
Perfide complexu ex patrio miseram abstrahis ergo:
Vt peream trucibus perdita præda feris?
Hæc ego commerui læso patre, fratre perempto.
Qui meruisse facit, quid meruisse putes?

Hæc merui, at per te. quin seruatrice relicta
Qui scelus his addit, quid meruisse putes?

ANDROMEDA.

ERrauit genitrix: plector cur filia? quanquàm
Pro sonte insontem matre perire iuuat.
O mater, tua me facies huc perdidit, atqui
Hinc mea me soluit: pulcrior ergo mea est.
Pulcrior ergo mea est: nec nymphas prouoco. longè
Pulcrius, & melius fit, benè scire loqui.

MEDVSA.

IS decor est vultus: tanta est sapientia linguæ:
Induerim vt stupidis saxea membra viris.
Vincere non hominis potuit prudentia, non ars.
Hæc sunt Mercurij, hæc Palladis arma Deæ.
Qualia credideris viuentia membra fuisse,
Defunctæ lapides quum caput esse facit?

HALCYONE.

PArce pijs temerare Deos miseranda querelis:
Nam tibi iam fiet copia certa viri.
Terra dedit: rapuit pelagus: tenet aëra: cœli
Pars pater est: horum pars es, eras, & eris.

EVRYDICE.

NE luge bis me raptam, fidissime coniux:
Si mecum esse cupis, parua futura mora est.

Reddite perpetuam, vel me ne reddite Manes:
Estné satis dare, quod reddere nolle velis.

HESIONEM HERCVLES ALLOQVITVR.

POena es periuri, periuri præmia non es:
Aut alia Hesione est, aut tua Troia mea.
Debuit & monstris te, & fluctibus Ennosigæus
Tradere Laomedon, qui benefacta negas.
At Iuno mihi, Iuno tibi hæc irata parauit:
Mi labor, & tibi vt hæc pœna parata foret.

ATALANTA.

EXuit inuidiæ rabies quæ præmia dextræ
Num & venatrices exuet illa manus?
Hæc est inuidiosa tibi, quæ prima puellæ
Dextra feræ tepido sanguine tinxit humum.
Thespiadæ, haud apri spolia hæc, sed membra nepotis,
Quæ petitis. tamen hic vestra priora cadent.

HIPPODAME PIRITHOI.

TOt malesana canit sceleratos Græcia raptus:
Vt graue sit, puræ nomina ferre nurus.
At probro sine rapta, Deûm genus, Orithyia,
Raptarum verò cætera turba pudor.
Quo maior tamen ista aliis infamia rerum:
Splendidiore mihi hoc nomine venit honor.

Digna

Digna fui, sibi quam raperet malè sobrius heros:
Et quam non raperet, hec quoque digna fui.

HIPPODAMIA.

FRustrà fata tuus differt conatus inanis:
Totq; orbum generis te facis esse pater.
Morte tua certas. dabis, improbe Myrtile pœnas:
Dum imbellem prohibes, experiêre virum.

CIRCE.

QVid me monstrificam finxistis vana canentes?
Nil tutum est: nôn, si se velit esse, Deus.
Inueni pecudes: non feci. profuit vni:
Et licuit mecum dum foret, esse virum.

HECVBA.

QVis potis æterni pœnas euoluere luctus?
Heu heu, hæc mea sunt omnia verba; fui.
Felix, cui solum hoc superest: qui semper acerbi
Non sit spectator funeris ipse sui.
Vixi, vt non moriar? vos ô qualem esse putetis
Quæ pro supplicij fœnore vita datur?

POLYXENA.

SVnt hæc iussa viri: eadem iussisse puellæ?
Dijs genitis cordi est sic, perijsse bonos?
Has tædas, Danaûm isthæc sponsalia regum?
Non fas, ô Danaæ, vos superesse viris?

Tela Paris cohibe: non hunc, me interficis istis:
Vt me interficiat, nam mihi viuet adhuc.

IPHIGENIA.

VSque adeò nostros agitat dementia diuos:
Vt temerè ex æquo fasq; nefasq; putent
Mutari vt iubeant turpem pro virgine mœcham?
Pro insonti sontem vindice morte ream?
Vt ne habeas, nocuit quod auere, & habere nocebit:
Hoc quod non nocuit, non habeas, quod habes?
Rapta est? ira Deûm ruat altæ mœnia Troiæ.
Anne volens? ipsa, aut expiet Hermione.

CASSANDRA.

PRo stupro tibi promisso, bone Phœbe, roganti,
Venturi data sunt præscia corda mihi.
At pro virgineis constantis pectoris ausis:
Vt iam nulla habeant irrita verba fidem.
Præmia sic restant sceleris mihi: pœna decori:
At duplicis sceleris vtraque pœna tibi.

SIBYLLAE.

NEc dubio Cortinæ astu, nec Apolline falso,
Sed vero gerimus pectora fœta Deo
Cætera quidnam ad nos? vnum est, cognoscite Iesum,
Quæ hunc non prædixit, muta Sibylla fuit.

CARMENTA.

DEduxêre mea in Latias oracula terras:
In quibus Arcadicos inseruêre Deos:
Constitui ritus, mores, sacra publica, leges:
Nec potui maius, quàm docuisse loqui.

PENTHESILAEA.

AVdiat inuisi caput exitiabile belli:
Quæ petitur thalami nomine, quæq; petit.
Proq; viro, nec forte viro cessante, puellam
Cadere: proq; mala pellice mole virum.

DEIANIRA.

OMnis vita tibi mortis famulatur honore:
Viuentem contra viuere nil potuit.
Mortua res perimit, tot pestibus antè peremptis:
Dum non extaret, quod superesset, erat.
Vnum aueo fecisse meum: simul omnia perdo:
Qualis amor docuit, posse necare virum?

CREVSA.

CEdam Dijs priscis patrijs, Dijs aduena magnis:
Quos parat ante aras Itala terra tuas.
Sed Troiana Deis Romanis cedere certum est:
Sic vetera auspicijs cedere cuncta nouis.
Dij meliora. abiens Diuam me hîc ipse relinquis:
Et te sic linquet nupta futura Deum.

DIDO.

DIDO.

DVm fugerem insidias, furiasq; procacis Hiarbae:
Ornaui hanc mortis, morte fauente, fugam.
At tibi, qui mendax temeras Romane pudorem:
Imposita haec sunto vindice regna manu.
Aeneade, ne perfidiae ferre crimina Poenis
Si violas iustum, aut deseris ipse torum.

ROMA AD AENEAE CLASSEM.

O Facies inuisa, meas quae linquere terras
Cogis: quod non est, quaerere, quod nec erit.
Aut si vsquam est, hîc esto. ignes da, conijce: nanq; hîc
Si non est: alibi nec tibi Troia fuit.

LAVINIA.

IN me desiit id, quod erat. nunc incipit à me
Quae sequitur fatis Troia futura suis.
Aeneas rexit Troas, fractosq; refecit:
Aenean ego: me mens mea: nulla meam.
Iuppiter hac nostra nunquàm dedit indole maius,
Nec dabit: hoc nostrum est, quod tibi Roma capis.

HERSILIAE.

NE fle, ne puera. insigni tibi debita fato
Sancta manent magni dona beata tori,
Mutabis tenues Romana luce Sabinas:
Mortali indueris virginitate Deam.

FINIS.